DE

MAGNO CONCILIO VATICANO I

AUCTORE

JOSEPHO GATTI

CANONICO THEOLOGO
et iuris utriusque doctore

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXXI.

DE

MAGNO CONCILIO VATICANO I

AUCTORE

JOSEPHO GATTI

CANONICO THEOLOGO
ET IURIS UTRIUSQUE DOCTORE

AUGUSTAE TAURINORUM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXX.

SANCTO PETRO

APOSTOLORUM PRINCIPI CHRISTIQUE VICARIO; CUIUS DIGNITAS IN HAEREDE HAUD INDIGNO PIO IX PERSEVERAT

Hanc qualemcumque opellam de Concilio Vaticano, quod est gaudium catholici orbis, saeculi XIX decus et ornamentum maximum, nostrique aevi miraculum praegrande, num alteri dicatum velim, nisi Tibi, cui claves regni caelorum tradidit Iesus? Tu, qui primus Christum filium Dei viventis confitebaris, tu qui illum ex corde diligebas et magis quam collegae in apostolatu, meruisti praerogativam eamque accepisti singularem adhaerentemque personae. Tua fides numquam erat defectura, quia humanae infirmitati succurrebat divina omnipotentia. Non erat necesse, ut pro Te anxius precareris: aderat enim omnipotens precator, qui tibi suam, qua homo, precandi virtutem pollicitus est hisce verbis: *Ego pro Te rogabo,*

ut non deficiat fides tua. Si Christus pro te orat, quid addet oratio tua? Nil prorsus, quamvis ipse te secum habere orationis socium summopere gestiat. Sed amplissimae, quibus cumulatus es, praerogativae, non pertransierunt in transitu tuo, nam iis instruebaris qua caput Ecclesiae, in terris usque ad finem saeculorum atque in caelis in aeternum permansurae. Vixisti igitur in urbe Roma iam capite orbis, mox futura principe omnium populorum: sed vivis adhuc in persona tui successoris, qui maiestatem tui apostolatus sustinet cum omnium admiratione.

Sed et alia suppetit ratio, cur ad Te munusculum meum deferam. Ubi enim istud operis mente concepi atque exegi, nisi in urbe haereditatis tuae, prope monumenta quae reliquisti tuae sanctitatis ac clavigeri pontificii? Post vinculorum tuorum et antiqui simulacri tui ad pedem exosculationem, post cathedrae, in qua sedisti supremus, universalis ac inerrabilis magister, venerationem; post inspectionem illius basilicae, quae Romae veteris vincit ingentes moles, si quid minus contemnendum mihi contigerit excogitasse, nonne tuum est iure quodam paternitatis? Accipe itaque haec quae monumenta sint pietatis meae; accipe, et haec meum testentur obsequium tuae Sedi, unde

oracula fallere nescia prodeunt. Mihi sat erit, si non asperneris pusillum donum, sique benignae voluntatis mihi praebueris argumentum, precibus, quas fundo, aurem accomodando. Pro tuo dilecto Successore, qui cathedram tuam novo collustrat splendore, roga, sicut pro te rogabat Dei Filius. Ab eo impendentia mala dispelle, eumque tuere, ut inter confragosos scopulos misticam navim recta dirigat ad salutis portum. Vides, quot tempestatibus iactatus a quinque iam lustris, numquam deflexerit a tramite iustitiae et veritatis. Tuere illum, nam dignus est, qui sub umbra alarum tuarum securus, incedat; tu scis quomodo diligat te. Et quoniam (eheu pudens dico), non pauci illius conantur minuere praerogativas, sicque tibi ipsi irrogant iniuriam, et Tu parce errantibus, quorum magna pars specie boni decipiuntur. Tibi ultio successoris tui; sed ultio te moveat ad eum magis magisque protegendum. Fac, ut videat dies tuos et ultra, ac minax tetrumque vulgare effatum in eo deficere incipiat.

Mihi vero, qui tui tuaeque Ecclesiae amore et obsequio hanc concinnavi opellam, parcas, quaeso, si quid minus dignum exciderit. Tui, vel, quod idem est, tui successoris nutu, omnia sum corrigere aut retractare paratus, atque iam nunc pro

non dicto habeo quidquid minus recte protulerim. Possibilitas errandi, qua tu, singulari privilegio, caruisti cum tuis, rogante pro vobis Domino, infirmitas est; atque hanc in me sentio non modicam: ast voluntatem errandi, quodque peius, in errore persistentiam angue peius aversor. Tu autem, in bonae voluntatis mercedem, utere clavibus tuis ad solvenda conscientiae meae ligamina et reserandas coeli fores, quas tuo nutu claudis et aperis.

PROLOGUS.

De Concilio magno praesentis saeculi acturus, quid prosequar? Historiam ne eius vel decreta? Praematura res foret; nam spiritu Dei, si non afflante, certe adsistente, adhuc edenda, sub nube latent. Quid ergo? Consilia ad Patres Ecclesiae congregatae mittam? Audentioribus hanc relinquo provinciam, iis nempe qui *Casus conscientiae* cudunt, et non requisiti viam Domini eis monstrare praesumunt. Vasa Samum et noctuas Athenas deferat, qui velit. Mihi enim, quoniam me mea sors Romam tulit deditque nosse magnas conquisitiones quae ibi fiebant, sat erit aperire quas ideas mente agitarem. Non desinam tamen sacramentum Regis abscondere, licet omnia, et arcto premenda sigillo, retegere nisa sit hodierna vulgandi cacoethes. Dicam solummodo quae circa fidem et disciplinam animo revolverem, dum optimi Patres, et ipsi pro sua vice, et studiis et collationibus vacabant. Si quid mihi divinari contigerit eorum, quae Patres divinitus adiuti decernent, Dei gratias habeto, candide lector, tibique prosit labor meus; sin minus, scias me scripsisse animo, ut lubentissime et ambabus ulnis sim excepturus quae sacrosancta synodus proferet decreta absona a sensu meo. Animadvertas insuper velim, multa me tetigisse, quae integra fortasse a sancta synodo relinquentur, propter specialem eorum naturam, minus aptam gentibus christianis qua late patet Ecclesia. Haec tamen etiam nonnibil afferunt utilitatis ita, ut non pigeat ea memorasse.

Praefaturus opusculo meo, non praetermittam adiuncta, quae memorandum concilium comitantur. Sunt autem alia favorabilia, aliaque adversa nimis. De eo dici potest: *Exortum est in tenebris lumen rectis*; multis enim hac tempestate obvolvit tenebris christianas terras tenebrarum angelus: provide ergo apparuit desiderata lux conciliaris. Principia religionis naturalis et evangelicae, principia iustitiae et charitatis, super quae effusa est caligo,

huius saeculi, sunt claro in lumine reponenda: clerus, qui in hodierna societate christiana fit pusillus grex, ita educandus est abnegationi, patientiae in rebus asperis, fortitudini in arduis, ut paucior sufficere possit cunctis necessitatibus; fidelium societas paranda est, tamquam legio invicta, bello adversus Satanam sustinendo, armanda contra tela nequitiae principemque tenebrarum harum. Veni ergo, neque tardaveris, o bene auspicatum Concilium, et miserere laborum, quibus conflictatur humana familia! Sed neque deerunt argumenta timoris. Quae? Contra opus Dei nullum non movebit lapidem Christi et Ecclesiae adversarius, qui consilia Dei abrumpere nititur in medio viarum suarum. En en per garrulos typothetas libertatem omnibus magnificat, exaggerat, promittit, sed pessumam; Ecclesiam ut infensam adoritur. Richerii, Febbronii, autocratum gallorum et Caesarum resuscitat ausus, clamores, libertates nempe, quae Ecclesiam vinciunt et divexant. Principum, vel guberniorum, ubi principes nomen habent quod vivant et mortui sunt (cum diademata serviant rubris pileolis), resuscitat invidias, suspiciones, anxietates: verbo, suas omnes nequitias in medium profert, ut intercipiat terentes viam mandatorum Dei. Verumtamen portae inferi non praevalebunt adversus Ecclesiam et eius caput, adversus sedem atque sedentem. Faxit Deus, ut impleatur verbum summi Ipse dixit, et factum est. Dixit, nec obliteratur divinus apex: *Nè sillaba di Dio mai si cancella.*

Opus adgressus sum labente anno MDCCCLXIX, et aliquorum mensium cursu illud ad exitum perduxi; plurima interea in vulgus edita sunt de argumentis conciliaribus, maxime vero de R. Pontificis auctoritate. Non tamen superflua haec habeo scripta mea, in quibus sin nova, novos saltem rerum aspectus intueri quisque potest. Caeterum si utilia mihi scribere contigerit, satis contentus ero. Quod si non omne tulerim punctum, utilibus miscendo dulcia, id tribuas velim tum argumenti naturae, tum etiam auctoris conditioni, properare coacti sicut calamus scribae velociter scribentis.

CAPUT I.

DE CONCILIO OECUMENICO SAECULI XIX.

Magna certe et momentosissima Vaticana Synodus universalis. Coalescit enim ingenti episcoporum numero, qui a dissitissimis regionibus tamquam peregrini apostolici Romam adventarunt. Periculis feri maris alii superatis, velut angeli veloces catholici orbis centrum amplexati sunt; alii curribus ocius euro pertranseuntibus, longinquas terras emensi sunt; omnesque aligeris vehiculis super aquas multas latasque terras sublati portum voluntatis suae attigerunt. Nuperis inventis utitur Ecclesia et benedicit, sollicita maxime ut ad regnum Dei amplificandum inserviant. In mari vehiculum evangelii admirabatur Basilius: quanto magis nos, qui vim novissimam agnoscimus aquilone validiorem, navigia trahentem! Vis eadem per vias ferro signatas de plaga in aliam populos tranfert. Concilium itaque Vaticanum plerisque antecellit ob numerum episcoporum, qui Romam detulerunt testimonia fidei per totum orbem diffusae. Quan-

donam, quaeso, tot episcopi ad nutum venerandi Capitis Romam confluxerunt? In Vaticano numerus sedium duplo maior, quam in Nicaeno, tercentum et quinquaginta circiter episcopis coalescente. Memini, Lateranense II mille circiter episcopos vidisse sedentes, et Lugdunense pariter II episcopis tercentum et millibus inferioribus praelatis coaluisse, qui quidem numerus Ecclesiae coadunatae maiestatem efferebat. Memento tamen, episcopos in plerisque catholicis regnis tunc valde fuisse crebriores quam modo, postquam nempe politici tumultus in Gallia aliisque Europae regionibus episcopales sedes imminuerunt. Adde etiam maiestatem, quae concilio obvenit ob episcoporum praesentiam ex locis remotissimis advenientium. Fides enim annuntiata est in universo mundo; mundus vero catholicus nunc latius longe patet, quam aetate Tridentini, qua vix ullus congregatorum antistitum fretum gaditanum traiecit et nemo caput Bonae Spei circumnavigavit.

Dum Vaticanum Concilium a saeculo XIX cognominor, rationem habeo praecipue numeri sediumque episcoporum ex dispersione gentium ad almam urbem transeuntium. Non sic autem illud appellavi, quasi a religione reboantis moderni progressus normam sumpturum. Concilium enim in nomine augustae Trinitatis coactum, iam inceptum et, adsistente Sancto Spiritu, ad exitum perducendum praeiudicia convellere debet, non iis morem gerere. Quae est autem religio progressus, cui sancta Synodus ex nonnullorum sententia se deberet accomodare? An religio indefinita quae omnes aeque complectitur, utpote symbolo carens? An religio naturalis, quae on-

nem revelationem pessumdat, miraculo et mysterio adversa, cui Christus non est historicus, sed mythus, vel si historicus, philosophus honestus et sagax? Praetereo, qui nullo tanguntur religionis sensu, vel sunt ethnicis multo peiores, quum insipientes, in corde suo Deum negent, vel illum cum materia confundant aut phantasmatibus somniisque aberrantis intellectus. Vere cernere est progressum, et maximum quidem, in erroris evolutione. Lutheri spiritus privatus, qui omnem renuit auctoritatem, quique rationem individualem falli nesciam unice agnoscit, exorbitando et per anfractus ignotarum viarum se detrudendo, sepultus iacet iam in abysso aquarum multarum. Nec etiam neocatholicis illis pollicem premit Concilium, qui religionem sibi fingunt pro sensu suo, Christum legislatorem agnoscunt plus mundi politici quam regni coelorum, vel illum a sponsa sua Ecclesia abstrahunt, vel Ecclesiam sibi confingunt sine Papa, vel Papam sine auctoritate aut nominali tantum et dispertita in omnes, non dicam fideles, sed saltem episcopos. Aliud agnoscet Concilium vivens fidei magisterium.

Quod saeculo elapso singulari mentis acumine, vel potius superno coruscante lumine vir Dei Paulus a Cruce praevidit, hoc ipsum contigit hac tempestate. Videlicet quum is vitam ageret quo tempore impia dogmata Volteriana et Baylana serperent, quibus affictabatur christiana societas, praenuntiavit Concilium in quo veritates asserendae et confirmandae inciperent ab existentia Dei. Mirabile dictu! Quale iudicium de christiana societate labentis saeculi emittet historicus inspiciendo in synodum

Vaticanam! Eo igitur stultitiae devenerunt multi, ut dixerint nedum in corde suo sed et labiis: Non est Deus? Vel quod divinitatis monstrum sibi effecerunt, qui idololatris insipientiores ex lapidibus numina sibi constituentibus, dixerunt, hanc rerum spectabilium molem esse Deum! Vulgaris Pantheismi formae, quae Spinosae arridebat, aliae ideales adiectae ex Schellingio, Hegelio, Feuerbacio aliisque huiusce frugis. Necessitas inde urgebat haec configendi opinamenta anathematis iaculo. Post atheos Deistae et Rationalistae. Aut Deum admittunt vel rerum sublunarium incuriosum, vel saltem non evehentem homines ab ordine naturali ad supernaturalem. Hinc Bibliorum auctoritatem aspernati, illorum narrationes insuper torquent ad praeconceptas opiniones. Narrationes ideo factorum supernaturalium vel naturaliter explicant naturalem corrumpendo verborum vim, sive ad mitycum philosophicum aut historicum orationis contextum transferunt. Et horum somnia dispellenda, revelatio in tuto ponenda, eiusque fontes declarandi quoad divinam originem et auctoritatem, nec non legitimam interpretationem. Quod de s. Scriptura aio, intellige et de traditione aeque veneranda.

Trinitatem nominalem potius quam realem sibi confingunt, et incarnationis proinde dogma, solamen animae christianae, penitus subvertunt. Christus Straussio eiusque gregariis nonnisi mythus audit, philosophicus vel historicus, dum Renano apparet simplex homo, in maxima dignitate morali constitutus, quo vix perfectius hominis paradigma excogitari possit. Hoc tamen exemplar hominis singularis compone, si potes, cum voluntate se exhibendi

thaumaturgum aliosque velut circumveniendi. Divinitas ergo Christi, caput doctrinae catholicae, est firmiter asserenda. Filius Dei, Deus homo, mundum relicturus ut repeteret sinum aeterni Patris, corpus suum reale reliquit in Eucaristia. Contra hoc dogmatis, quod tanto solamine laetificat christianorum spes, difficultates congerunt ex materiae natura petitas, quas tamen nullo negotio diluet qui meminerit, ignota naturae, modo penitius perspecta, non posse destruere cognita per fidem, divinamque omnipotentiam ad libitum suspendere posse phaenomena corporum tametsi praesentium. Divinam Eucaristiam contra protestantes tuita est Tridentina, et contra Rationalistas, eorumdem nepotes, tuebitur Synodus Vaticana. Reliquit et Christus corpus mysticum duraturum in aevum, nempe Ecclesiam. Congregatio fidelium et pastorum est sub uno capite, divini Institutoris vicario; arca Noe, extra quam nulla salus. Depositaria revelationis per Moysem prius, dein per Christum factae; depositaria tutissima, falli et fallere nescia. Extra eam qui culpabiliter decedit, peribit.

Depositum revelationis catholicae ecclesiae est quaquaversus purum. Neque integrum, neque incorruptum possident Protestantes. Qui autem revelationes Ecclesiae traditas huiusque respuit magisterium, sub praetextu novarum revelationum ex colloquiis cum spiritibus per magnetismum tabulasque tornatiles, ut Allan-Kardec aliique in meridie somniantes effutiunt, is profecto lucem fatuam sequitur pro cynosura. Qui enim spiritus interveniunt respondentes per media varii generis, ii profecto mali, etsi quandoque bona tradant consilia ad instar an-

geli luminosi, quo facilius se insinuent in animis male cautis eosque captivos abducant. Ita fit ut increduli etiam se subdant Spiritui tenebrarum. Sed de his consule scriptores catholicos, praesertim vero quos infra nominabo Italos gente (1).

Asserta contra recentes Hermesianos et Guntherianos errores Christi revelatione eiusque portentosa divinaque institutione, quae est Ecclesia et continuat in terris Verbi Dei incarnati opus, columna et firmamentum veritatis, vindicandae sunt notae illius, quae est magna societas generis humani translati a tenebris ad lumem. Infallibilis in suo magisterio circa fidem et mores, et caetera quae referri possunt ad mundi salutem, per certos non minus quam conspicuos characteres ab aliis religiosis societatibus secernitur. Caput habet invisibile, quod est lapis angularis totius aedificii. Habet et visibile, quod prioris illius obtinet vices, fundamentum cui superstruitur aedificium ingens ad habitationem gentium, cardinem, cui nixa revolvitur nova machina mundi moralis. Fundamentum hoc, cardo hic nutare non potest, quin tota concutiatur fabrica mundi refecti. Organum hoc principale ecclesiastici magisterii non est errori obnoxium. Secus, quale obvium et certum veritatis catholicae criterium? In tuto igitur posita rom. pontificis de fide et moribus infallibilitas, nec non definibilis, Papa annuente, et assentientibus patribus, licet non omnibus, in concilio.

(1) E nostratibus scriptoribus videsis Caroli, Galeotti, Alimonda, praesertim vero la *Civiltà Cattolica* et Perrone, *De Mesmer. Sonnambul. et Spirit. recent. superst.*

Vix enatavit pontifex a persecutione Caesarum ethnicorum et orientalium saepae haeretica lue scatentium, temporali imperio fuit a Providentia instructus, quae titulis in iure potioribus et firmioribus ad id operis usa est. Haec sacrosancta iura pessumdedit spiritus rebellionis, qui saeculum XIX fatigat. Iura ac longissimi temporis possessiones nihili ducens, altissimae Providentiae oppugnat fines, quae sic prospici voluit summi pontificis decori, independentiae, libertatique in Ecclesia regunda. Et eo usque prolabitur spiritus rebellionis, qui et haeresis, ut duas potestates blateret coexistere non posse in eodem subiecto, nempe in pontifice, illud cum Wiclepho et I. Hus prave interpretatus: *Regnum meum non est de hoc mundo*. En vetera refricta errorum portenta. Independens sit oportet rom. pontificis spiritualis auctoritas, eaque in temporali regno, per quod ipse ab aliorum imperio eximitur, tutamen invenit. Sed hac de re iam satis scripsi et antiquitus et nudius tertius. Lectori iuverit specimen praebere (1).

Civili auctoritati nullum competit ius in sacra; sicubi autem *R. Exequatur* decretum apponitur pontificiis pronunciatis, quoad materiam et modum cave illud extendas ultra terminos a s. Sede praestitutos et toleratos (2).

(1) Iam ab anno 1848, quo libertini ungues ostendere incipiebant in hebdom. folio *Fede e Patria*, longa articulorum serie pertractavi hoc thema: *Importanza del Papato civile nella Chiesa e nell'Italia*; Eadem iura pontificia propugnabam aliis in ephemeridibus.

(2) V. opus: *Ragioni della S. Sede ap. nella pres. controversia colla Corte di Torino*; tom. 1°, part. 2ª. Auctor observationum est P. Bianchi I. A., auctor egregii operis: *Della potestà e pulizia della chiesa*, ut disco ab Angelo Fabronio, *Vitae Ital.* ecc, Vol II. Vide etiam S. P. Benedicti XIV notam *Instruct.*

Christiani potius imperii officium est Ecclesiae manum admovere, qua promptius illius finis obtineatur, aeterna nempe animarum salus. Potestas s. pontificis independens a quavis temporali, hac eadem est excellentia et ordine potior, ut patet et enucleatius videbimus. Potestas ecclesiastica et potestas laicalis, suprema et independens utraque in genere suo. Scriptum est enim: ***Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.*** Ecclesiastica itaque est mere spiritualis, nec se ingerit temporalibus, nisi quatenus haec proxime attingant Ecclesiae causam, pro qua Christus suum profudit sanguinem. Princeps non se immisceat rebus spiritualibus, sed Ecclesiae liberam relinquat actionem, immo eam, si opus fuerit et in desiderio, adiuvet, difficultates removendo; sic enim et pro aeterna vita et pro temporali prosperitate civium daret operam. Duae potestates duorum ordinum diversorum ambitu continentur et pro iurisdictione et natura sua agunt, sed unus ordo alteri praecellit habetque rationem finis ultimi. Quare non hunc etiam contemplabitur potestas cicivilis in christiana societate? Haec, quam expono, doctrina sanctis Ecclesiae Patribus et summis pontificibus, in primis Gregorio VII, Innocentio III, Bonifacio VIII, arrisit: ast male sonat nunc delicatulis auribus, quasi contineret aliquid absonum a rerum dignitate ordineque idearum. Sed de hoc iterum.

Separatio itaque principatus ab Ecclesia in societate christiana est nescio quid monstrosum et abhorrens a rerum natura: non Ecclesia se ab eo abalienat; adiuvat immo eum in temporalis felicitatis adeptione. Vel se abstrahet civitas ab Ecclesia? Coalescit enim plerumque illa iisdem

hominibus ac ista, qui homines perducendi sunt post vitam temporalem tolerabiliter exactam ad aeternae beatitudinem. Separatio in ditione catholica, quae nempe coalescit saltem magna ex parte catholicis civibus, est per se reprobanda; per accidens tamen opportuna, ut quando sectae diversissimae et hostiles in regno ebulliunt, vel quando libertati ecclesiasticae minus noceat, quam protectio, interdum gignens Ecclesiae servitutem. Ceterum non semper fides habenda iis, qui separationis se constituunt praecones. Ii enim non sunt plerumque sinceri. Separationem praedicant, et tamen Ecclesiae bona invadunt, et ipsam vexant vel in ipsis religiosis functionibus. Eos imitantur, qui legem non interventus servandam dicunt inter gentes; et tamen se immiscent rebus alienis sub praetextu aequilibrii servandi vel propagandi ideas civilis progressus, immo forsan intervenire praesumunt in Ecclesiae ipsius negotiis, ei suggerendo a quibus abstinere debeat in Concilio oecumenico. Sed Ecclesia currit viam suam, Deo non Caesari in spiritualibus obtemperans. Ecclesia igitur et imperium semper distincta permaneant, nec unquam separentur, si tamen illud non sit haereticum, quodque peius, atheum. Permanens haec distinctio excludit confusionem, non includit separationem. Non separatio ea dividat, non immixtio inordinate confundat, sed amico foedere ambo consocientur. En naturalis relativa eorum positio. Se mutua ope adiuvent, quo tutius suum consequantur finem, beatitudinem in aeternum, prosperitatem in tempore.

Oecumenicorum Conciliorum conspectus historiam nobis designat progressus erroris adversus christianam ve-

ritatem. Primis Ecclesiae saeculis spiritus erroris Christi divinitatem directe vel indirecte oppugnabat. Sequenti aevo Christum adoriebatur in sua veste magis, quam in persona, in gratia nempe, in sacramentis, in Ecclesia, quae omnia ab eo fluxerunt. Atque intra hos terminos videbantur consistere haeretici XV et XVI saeculi. Verum principia iacta sunt, unde emersurus erat error profunditatis et latitudinis absque mensura. Huiusmodi erat spiritus privatus et negatio auctoritatis, qui peperit monstra gigantea aevi nostri. Protestantismus pedetentim descendit usque ad atheismum. Quod dixeris extremam formam, quam sumpsit error post revolutiones saeculorum. Quare Concilium Vaticanum, quod perstringet hoc erroris universalis deliramentum, erit fortasse omnium postremum; iam enim error omnes videtur percurrisse tenebrosas vias suas.

CAPUT II.

EADEM MATERIA UBERIUS TRACTATUR.

Quaestiones philosophicas aut theologicas, quae libere disputantur in scholis, Concilium non attingit, multoque minus definit, nisi forte quae proxima habeant patentia, eaque tristia, consectaria. Neque utetur similiter idiomate philosophico, quod exclusivum fuerit alicui scholae neque transierit in linguam communem scientiae, ne forte videatur inter *aeque libera* systemata unum prae altero seligere et amplecti. Quando vero agatur de er-

roribus damnandis, tunc utique loquitur nomine errantium eorum adhibens reprobansque discursum. Non caeterum in palaestram philosophicam vel theologicam convertendum est Concilium, quod exponens fidem morumque normas, abstinet ab abstrusis conceptubus formisque, quae magis scientiae vel scholae inserviant, quam credentibus et secundum voluntatem Dei agere cupientibus.

Quae fidem itaque, quae mores respiciunt, potius tractanda. In quibus etiam comprehendere est Ecclesiae relationes cum imperiis. In quibus constabiliendis sagacitate non minus est opus, quam in dogmatibus firmandis. De hac igitur re adhuc pauca. Vix tollerata positio Ecclesiae respectu imperii, populorumque religiosa conditio in causa esse possunt, cur sit optabilius quod est minus perfectum, relicto quod est magis perfectum minusque possibile. Praescriptiones disciplinares, quum non sint intrinsecae vel absolutae necessitatis sed merae opportunitatis et spiritualis utilitatis esse possint, quandoque omittuntur, vel attenuantur, vel radicitus immutantur. Non est igitur necesse, ut quodcumque scriptum reperiatur in Tridentino vel antiquioribus conciliis, illud ipsum renovetur in Vaticano, si conditiones fidelium in diversis degentium regnis aliud omnino requirere videantur. Profecto Vaticani Patres prae oculis habebunt semper praesentis societatis statum, parati eius infirmitati succurrere eiusque honestis desideriis. Infirmus relevatur interdum, si medici indulgentia ei permittatur quod non est per se noxium: quod si non proderit, non oberit saltem. Hinc temperare a legibus magis sanctis, praecipere quod

magis blandum est, magisque accomodatum fidelium humeris in societate constitutorum et sub legibus civilibus, videtur laudabile argumentum prudentiae legislativae.

Separatio reipublicae ab Ecclesia, de qua iterum, contradicit rerum ordini et naturae, et constituit nescio quid abnorme a generis humani traditione. Numquid penes Haebreos scissus erat a religione principatus, ab Aarone Moyses? Aut quid simile huic innaturali divortio inventum est penes ethnicos? Nequaquam: nam isti leges suas a Iove vel ab alia divinitate augurabantur. Profecto christiana gubernia deberent Ecclesiam amicitiae foedere prosequi, eamque tegere sub umbra alarum suarum. At quando cives, in varias scissi religionum formas, mutua laborant diffidentia invidiaque tabescunt; quando rectores ipsi Ecclesiam aversentur, non ne tunc pro minori malo et maiore libertate optari posset imperii ab Ecclesia separatio? Protectio inimici magis formidanda, quam eius indifferentia vel contemptus. Pono autem, absolutam et sinceram esse separationem. Decernitur quandoque separatio ad negandam Ecclesiae protectionem, verum sine animo renuntiandi quibusdam male partis iuribus, quorum exercitium Ecclesiam adigit ad paupertatem, quodque peius, ad servitutem. Verbo: si terrae potestates obedientes potestatibus tenebrarum harum, non sint dispositae ad auxiliandum Ecclesiae ut in terra constituat regnum Dei, satius tunc est, ut se separent ab ea, relinquentes illi libertatem, qua Christus eam donavit. Quum quis, non sancto amore ductus, alicui vult adhaerescere, onerosam subiectionem, non auxilium ad libertatis usum ei defert. Separatio civitatis ab Ecclesia potest esse bonum relativum,

ut in rebuspublicis confoederationis Americanae, ubi catholici numero haud plures vivunt intermixti variis dissidentium sectis, et qui tenent regiminis habenas, a catholicis vexillis plerumque sunt dissiti(1). At in regno catholico separatio illa malum foret, contra ius introductum ipsamque civilem utilitatem, tum moralem tum materialem etiam. Quid vero si gubernia catholicorum, rebellionis aestu abrepta vel sectis politicis servientia, inhient hanc separationem? Si sincera voluntas, tunc ecclesiastica proprietas libera erit a manu raptoris. Quod si iam fuerit absumta a bellua rebellionis, quam dira fames perpetuo urget, tunc separatio poterit veluti supremam naufragi tabulam servare Ecclesiae libertatem, pro qua Christus suum profudit cruorem. Quo casu haec separatio obvium erit minus malum. Divortium enim praeponendum est cohabitationi cum sponso saevo vel lenone. Hic status Ecclesiae in gubernio dicto catholico est hercle innaturalis et deplorabilis: verum durabit solum quamdiu perdurabit politica febris separationis. Familiis autem perductis ad antiquae fidei sensa, redibit status naturalis Ecclesiae in catholica gente. Hic transitus non erit unius diei; sed interim plus iuverit consistere procul quam prope, non aestimari, quam opprimi.

Putarem variarum conditionum, in quibus Ecclesia versatur coram societate, habendam esse rationem, si leges concilium referre debeant speciem aetatis, qua fuerint latae. Corpus enim iuris canonici, contentum in concilio-

(1) C. F. Marchetti, *Della Chiesa quanto allo stato civile della città*, parte 1ª, dial. 1. V. et part. III, dialog. V.

rum et pontificum decretis, licet sapientia admirandum pro ratione temporis quo apparuit, ac praesertim quod romanas temperavit leges earumque correxit hic atque illic duritiem secundum Evangelii traditionisque christianae afflatum, impar fortasse erit singulis nostris necessitatibus; et iam aliqua ex parte est obsoletum. Illud instaurare, vel potius a vetustis secernere quae sunt magis accomodata praesentibus rebus atque ad praxim conducibile, opportunum videtur quibusdam ac pene providum. — Dices tamen: Regula una est omnium temporum, utpote derivata ab evangelio Christi, qui est hodie, ut heri et in saecula. — Quod ad dogmata attinet, lubenter admitto. Nulla enim in hac variatio; neque Ecclesia nova cudit dogmata, quum inter ea recenset aliquod doctrinae caput, quod antea inter articulos fidei non erat positum. Quo in casu nil aliud agit Ecclesia, quam declarare factum, nempe articulum illum iampridem in patrimonio credendorum situm esse, ut ex probe intellectis Scripturis et consulta diligenter traditione liquet. Sic egit in definitione immaculatae conceptionis Dei genitricis Mariae; sic aget, quando ei in Domino libuerit, circa thesim infallibilis auctoritatis Romani Pontificis.

Longe aliter se res habet quoad disciplinam. In hac constabilienda, licet Ecclesia spectet spiritum evangelii, qui est immutabilis, scit tamen se posse aliquantisper accomodare aures fidelium infirmitati, necessitatibus, moribus in his, quae intrinseca mala non sint. Sic Apostolus Timotheum circumcidit, ne scandalum praeberet fratribus: sic etiam ab initio tollerata fuit in fide-

libus a iudaismo conversis legalium observantia. Ius canonicum plura desumpsit provide ac laudabiliter a iure romano; nam quod bonum est ac utile, accipiendum, undecumque eruatur. Quis nesciat, monumenta deorum gentium ad ornatum postea translata fuisse templorum christianorum? Quis nesciat, Ecclesiam perficere, renovare ea ipsa, quae ad suos usus transfert? Si igitur nostris hisce temporibus iurisprudentia civilis, si philosophia, si ceterae disciplinae aliqua doceant, quae utiliter in novum codicem ecclesiasticum possint transvehi, cur istud non fiat animo ad difficultates proterendas parato? Haud ignoro, istud non sufficere ad os adversariis obstruendum, qui profecto numquam Ecclesiae opus adamabunt. Quid mirum, si filiis diaboli non placuerint consilia Dei? Verum saltem dicturi non erunt, vel absque fundamento et veri specie dicent, Ecclesiam in opere suo non respexisse necessitates filiorum.

CAPUT III.

CONCILII GENERALIS OBIECTUM SAECULO XIX.

Fides et mores, en perpetuum Conciliorum generalium obiectum. Et quoniam universalis est error, qui hodie impetit fidem, non absonum idcirco videtur, ut concilium, quod errores convellere et credenda debet superstruere, latam, si non plenam, proponat formam credendorum et opposita disiiciat. Et quamvis non sit necesse atheis seu Deum negantibus condemnationis

notam inurere, utpote qui nullae religiosae societati, multo minus Ecclesiae, haud amplius adhaereant, et excommunicentur ab universa natura, quae suum agnoscit auctorem, ut bos praesepe domini sui; expedit tamen ut eos maxime feriat atheos, qui nomine quidem non sunt tales, re tamen sunt, et aliis periculosiores. Si credendum est in unum Deum creatorem omnium, cur non diris devoveantur ii, qui athei non audiunt, et tamen sunt, cum Deo confundentes universitatem creaturarum, sicque Deum efformantes monstrum immane, ingens, contradictionibus, veluti verminibus, tabescens? Si fides habenda tribus personis distinctis in una divina natura, in qua generatio et processio non officiunt aeternitati, neque unitati personarum Trias, cur non damnabimus conditores cuiusdam Trinitatis, quae vel *emanatismum* redolet, vel alia non minus absurda errorum portenta? Cur pantheismum cum variis eiusdem formis non detegemus, quibus vel simplicibus fucus fit, retento dogmatis christiani nomine, vel philosophico sub praetextu, quod veritates philosophiae, utpote ad alium ordinem spectantes, nullam habeant cum theologicis dogmaticis connexionem? De his itaque opportune, ut mihi videtur, agetur in Concilio, brevi tamen velut indiculo, ne philosophos vel theologos agere Patres videantur. A quorum sapientia pariter est expectanda ea sermonis sobrietas et cautela, qua errores perstringant iuxta errantium expositiones, easque vitent dicendi formulas, quae probant illos, inter tot, quae libere discutiuntur philosophorum haud damnata systemata, uni melius quam alteri adhaerescere. Similis quaedam oeconomia placuit Tridentinis,

qui scholasticorum, bonae fidei virorum, opinionibus, exoletis iam et prope desertis pepercerunt.

Verum si a Dei existentia eiusque natura inchoaveris opus Concilii, non ne in immensum amplitudinis exsurget? Necesse non arbitror, ut omnia fuso calamo pertractentur religionis dogmata, sed quae tantum hodie a christiani dogmatis adversariis impetuntur, coeteris dumtaxat pro data occasione atque obiter memoratis. De revelatione dubio procul, neque tam ieiune, agendum. Multiplici enim ex capite hoc christianae fidei fundamentum viri, rationis reginae famulatui mancipati, concutere moliuntur. Mysteriis infensi, omnia naturaliter exponere praesumunt; miraculorum osores, ea naturaliter explicare torquendo sensus biblicos et evangelicos, sive facta ipsa mythis historicis aut philosophicis aut dogmaticis accensere audent. Rationalistae, mytographi ac naturalistae hac ratione librorum sacrorum auctoritatem convellere nituntur. Protestantes has novas scholas a se progenitas numquid se damnare declarant? Quorsum vero? Nam illi huc usque devenerunt, utentes spiritu privato liberoque examine. Eos proteret concilium, cui praelusit s. Pontifex, et canonem sacrorum librorum confirmabit, quem iuxta traditionem maiorum exaravit Tridentinum.

Non solum contra pantheistas opportune dogma creationis confirmabitur, sed etiam creatio propugnatur specierum per se distinctarum, ita ut repudietur transitus ad aliam omnino diversam. Haec tenet Ecclesia; praesertim vero tuebitur ingentem separationem, quae hominem a caeteris animantibus, nempe brutis, in perpetuum dividit. Sicque confodiet miserandum illud systema, quo ho-

mines inventores metamorphoseon Ovidianis absurdiorum docent, hominem a statu minerali coepisse, indeque transmeasse ad brutorum species, et praesertim simiarum genus. Attentis sunt oculis observandi physicarum scientiarum cultores, qui interdum vel ex praeiactis doctrinis saepe hypotheticis consectaria deducunt religioni adversa, vel si expresse ea non deducunt, innuunt tamen plus quam satis. Ita dum quamdam simplicitatem et quasdam vires materiae tribuunt, realiter theologis etiam nolentes opem ferunt ad indirecte demonstrandam transubstantionis possibilitatem in Eucharistia; verum fortasse illis iisdem utentur ad demonstrandam, ipsi materiae inesse principium omnium productivum. De redemptione acturi fidei iudices, quomodo non eius supernaturalitatem tutabuntur? Sicque in Christo non solum hominem repraesentabunt, ut ut omnium excellentissimum, quem ad modum eum apprehendit Renanius, sed ut hominem divinitatis consortem, seu Deum hominem factum.

Sed nostris hisce temporibus non levia praeiudicia serpunt, quae ethicem offendunt tum privatam tum publicam. Errores circa proprietatem tum individuam, tum collectivam, quae pene a civili potestate oriri ac pendere supponuntur quoad ipsam earum existentiam; circa novum ius gentium, quod antiquum abradat, proveniens a legibus naturae, atque a titulis universim et ab immemorabili recognitis et usui mandatis; circa absolutam, nullisque limitibus circumscriptam theoriam *non interventus*; circa honestatem cuiuslibet successus ac possessionis; circa male intellectam peiusque applicatam aequalitatem in iuribus, ex qua fluxit *Communismus*, qui familiam

destruit et proprietatem, nec non *Socialismus*, qui tendit ad mutandum mediis indirectis statum a Providentia inter mortales constitutum; haec aliave errorum monstra, iam a mirabili hoc Papa confixa, non inopportune a Concilio generali repellentur. Quae provida actio conciliaris non excitabit rebellionum incendium inter populos, sed eas impedire potest. Iactum semen bonorum principiorum fovet publicam tranquillitatem, et fructus socialis renovationis secundum evangelium dabit in tempore suo. Magister universalis in pastorum generali conventu doceat reges et populos principia iustitiae et charitatis, secundum quae feliciter possimus vivere temporalem vitam sine iactura aeternae. Opus renovationis catholicae et socialis expectant boni a concilio saeculi XIX. Faxit Deus ut cum ingenti bonorum copia super illud labente Spiritu sancto, istud boni operis perficiatur, illudque in terris modo eveniat, quod in civitate Ierusalem post lapsum Spiritus eiusdem. Quod attinet ad alia, quae dogmata, principia vitae privatae et pubblicae, morum regulas ac disciplinam respiciunt, dicemus uberius.

CAPUT IV.

CONCILIA PROVINCIALIA ET DIOECESANA.

Latissime patet igitur obiectum synodi oecumenicae, quoniam fides complectitur etiam veritates ordinis naturalis cum eadem connexas, et in morum provincia continentur etiam veritates ordinis pubblici, quibus societates resque civiles diriguntur. Quare non miror,

si viri protestantes expectent et poscant ab universali concilio saeculi XIX iustam rationem iuris gentium, tam dire vulnerati nostris hisce tempestatibus. Scilicet videntes, bella ob quamcumque causam, etiamsi phantasticam, suscitari, et derelictas esse vel ipsas formas, quibus gentes tamquam sorores et christiano lacte educatae, actus praeveniebant et mitigabant lacessendi et adoriendi adversarium in suo territorio, a concilio postulabant reparationem iuris christiani, quo societas hodierna maxime debet inclarescere (1). Sicque postulabant, antequam horrenda bella, ut modo in Gallia fit, christianas gentes absumeret. Nunc ad minora transeamus.

Concilia generalia nequeunt frequenter congregari. Non enim semper apparet magna causa tanto par effectui; non semper, immo perraro adsunt propitiae conditiones, quae adiuvent tam difficilem eventum. Merito itaque ex conciliorum oecumenicorum difficultate et raritate arguitur necessitas falli nesciae auctoritatis in Romano Pontifice. Hinc ad expositionem habendam catholicae fidei non est necesse cogere synodum oecumenicam, quum id prohibeant saepe bellorum dissidia, ut animadvertit Angelicus, innixus synodo chalcedonensi (2). Iam saeculum XIX elabitur, et vix circiter unum pro quovis saeculo Concilium fuit coactum. Ingens numerus guberniorum, eorum reciprocae diffidentiae,

(1) V. *Ad. s. Pontificem ut ius gentium restauretur viri protestantici appellatio.* Opusc. per Davidem Urquhart, Londini 1869. « *Suite de l'appel d'un Protestant au pape,* Geneve. — *Les comités des affaires etrangeres aux évêques de l'orient,* London 1869.

(2) S. Thom. *Quaest. De potent. Dei,* Q. 10, art. 4.

erga Romanam Sedem suspiciones plurium, qui eam veluti matrem deberent amplecti; paupertas episcoporum, quos videmus expoliatos fere ubique, expilatos eorum greges, ipsae Beatissimi Patris angustiae ex iuribus suis antiquis deturbati, en novae causae quae antiquis additae insitisque eidem magno operi de quo agimus, difficillimam reddunt synodorum generalium coactionem. Constantinus Augustus, ut testatur in synodo Chalcedonensi et repetit s. Thomas loco supra dicto, non potuit propter bellum congregare episcopos. Concilium Vaticanum coactum est in pulchritudine pacis. At vix habita sessione IV et definito dogmate cunctis catholicis apprime caro, erumpit formidabile bellum. Numquid opus incoeptum ad exitum perducetur? In manu Domini sortes nostrae. Adde bellis rebellium sacrilega conamina et caetera, quae obscuritatibus obvolvunt futura tempora. Vix itaque praestitui poterit tempus fixum, quo cogi intersit oecumenicum concilium ob impedimenta, quae saepe illis viam occludunt.

Facilius, generatim loquendo, coadunantur provincialia concilia. Attamen haec etiam intercepta videmus ab obstaculis quorundam guberniorum, quae libertatem civilem forsan magna cum iactantia depraedicant. Concilia oecumenica non tollunt utilitatem provincialium, immo eisdem iuvantur. Quod de fide non affirmo. Haec enim quum eadem esse debeat et sit ubique, rectissime et satis declaratur a synodo generali vel a Romano Pontefice. Tam illa quam hic, non autem provincialis episcopatus res fidei declararent, tamquam oracula suprema et errori non obnoxia. Non idem dixeris quoad disciplinam. Hic tamen nonnulla sunt animadvertenda. Ac primo synodus

oecumenica ea constituit, quae ad disciplinam generaralem, nempe ubique servandam, spectant; atque in his praetergreditur nunquam lineam prudentiae et charitatis. Quoad alia disciplinaria, synodus universalis quaedam generalia statuit omnibus accomodata, at non descendit ad ea particularia, quae variare solent pro varietate regionum. Sic Concilium oecumenicum in genere decernet, ut clericorum habitus decentiam gravitatemque sapiat, et provincialia deinceps praescribent minutatim rationem formamque illis melius accomodatam. Iterum Concilium oecumenicum praescribit abstinentiam a cibis succulentioribus certis diebus: at provincialia ea solummodo quae, pro varietate locorum, attentis omnibus adiunctis et consuetudinibus legitime praescriptis, expedire in Domino magis videantur. En itaque utilitas synodorum provincialium. Quid, quod non parum mihi prodesse videntur ad synodorum generalium fidelem executionem? Illae enim confectae sunt iuxta horum mentem, hancque magis explicant et accomodant peculiaribus locis. S. Carolus quam maxime optabat inserere Tridentini disciplinam in sua ecclesiastica provincia. Quomodo vero id praestitit? Celebrando sex concilia provincialia (nam septimum sub cardinali Friderico gestum est), quae omnia rerum ecclesiasticarum peritis admirabilia semper visa sunt. Adde, quod in peculiaribus locis vel errores serpere vel obrepere abusus possent contra ea, quae in synodo oecumenica decreta sunt. Opportune itaque ea perstringeret synodus provincialis, sicque observantiae postremi concilii generalis sterneret viam. Dixi, verendum ne hic vel illic impediantur synodi provinciales. Et tamen haud ita pridem coactae sunt vel

in regionibus ubi heretici praevalent, ut in America septentrionali, vel in Anglia, sive in locis ubi sancita est cultuum libertas, ut in Gallia. Videbimus, si licebit in Italia, quod ubique gentium. Profecto coniici potest, ea non ubique celebrari posse singulis trienniis ad normam Tridentini, nam quando magis de libertate discurritur, tunc Ecclesia gravioribus constringitur laqueis.

Synodi dioecesanae suam etiam praeseferunt utilitatem. Quis enim nesciat, pro quavis dioecesi necessitates speciales adesse in clero et populo, vel speciales inolevisse abusus provide eradicandos. Praeter ea, quae concorditer cum Metropolita statuerunt episcopi pro communi provincia, sunt quaedam quae facerent pro una dioecesi non pro alia; sunt quaedam quae episcopus in concilio provinciali opportunissima vidit pro sua dioecesi, non item alii pro suis. Integrum sit ergo ei haec quidem pro territorio suo dioecesano constituere. Quo tempore sanctus archiepiscopus mediolanensis cogebat synodos provinciales, quae christianae plena sapientia emerserunt, eodem fere et ipse synodos peculiares pro suis dioecesanis congregabat, ut *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, immortali digna honore, sat probant.

Dioecesium minutus numerus ac ideo maior amplitudo, curae multigenae, quibus in dies distenti sunt episcopi, longiores morae, quas insumere necesse est in visitatione dioecesis, ceteraque huiusmodi in causa sunt, cur quotannis dioecesana synodus nequeat celebrari, ut praescribit Tridentinum, vel nisi cum maxima difficultate. Sed huic involontariae omissioni episcopi animarum zelatores obviam ibunt vel in moralibus collationibus ecclesiasticis,

vel in spiritualibus exercitiis, vel in privatis colloquiis, quae identidem occurrunt cum principalioribus cleri dioecesani. Decreta in calendario liturgico edendo suppleant, in quantum fieri possit, synodalibus statutis.

Nonnulla tamen addamus de conciliis nationalibus. Non haec praescripta videbis, tum quia difficilius est ea colligere, tum quia minus plerumque urget eorum convocatio. Quae fit ab archiepiscopo, regni primate ac patriarcha, et saepe instante temporali regni domino. Dico instante, non autem praecipiente. Explicatione proinde eget illa Carminati affirmatio, saecundum quam possent monarchae adigere episcopos regni, ut ad negotia ecclesiastica tractanda conveniant in concilio (1). Palam enim est, principem nullam iurisdictionem spiritualem in episcopos nationales possidere. Si itaque necessarium ducat concilii remedium, illudque suasionibus nequeat obtinere ab episcopis regni, postulatum mittat ad Romanam Sedem, quae rem perpendens pro iustitia iudicabit. Concilia haec non sunt infallibilitatis praerogativa donata, nec dogmata fidei debent statuere. Dubia tamen ex apostolicae sedis mandato possunt declarare; itemque etiam absque speciali delegatione iudicare in haeresim manifestam lapsos. Interest, perraro tamen, ut episcopatus nationalis conveniat in unum, tractaturus de iis quae ad spiritualia totius regni negotia referuntur. Contingere enim potest, et saepe contingit, ut Ecclesia unius regni in specialibus versetur adiunctis, quae non

(1) Carminati, *Riflessioni apolog. sopra la potestà del s. Pontefice.* Venezia, 1766.

sunt communia caeteris catholici orbis partibus. Tuncque Ecclesia nationalis sibi prospicit in sacris comitiis. Quae citius absolvuntur, et facilius in concordiam exibunt, si unum fiat totius episcopatus pro variis variarum provinciarum ecclesiasticarum, quam si multa provincialia habeantur, quae difficilius in perfectam concordiam disciplinae concurrent. Natio tamen illa, ab aliis differens ob aliqua capita consuetudinis, cum illis cohaerebit in fide et in disciplinae articulis antiquioribus et generaliter acceptis, cumque aliis, veluti sororibus, concurret in unitatem catholicae societatis.

CAPUT V.

METHODUS TENENDA IN CONCILIARIBUS DISPUTATIONIBUS.

Materiae in concilio pertractandae atque evolvendae aliqua appendicis instar subnecto circa disputationum formam. Satis non est bonam causam prae manibus habere, sed perpendenda etiam est ratio et forma eam in tuto collocandi. Certe infelix exitus bonae causae non pendet, ut inter homines fit, a methodo qua fuerit pertractata. In humanis, causae iustae favorabilis successus pendet a patronorum dexteritate. Non ita in conciliari certamine, ubi Spiritus Sanctus opus suum constanter implet. At Spiritus Dei non impedit, immo requirit diligentiam hominum, neque sua portentosa ope illorum fovet socordiam. Consulunt itaque iudices concilii sanctorum Patrum traditiones, suasque super illas congerunt

animadversiones, ne dona superna descendant in gentem desidiosam. Doctrina et logica exercitatio ducunt ad veritatem, atque utraque singulorum debet esse dos inaestimabilis. Ibi enim omnes doctores, omnes prophetae, omnes iudices. Quid autem si omnes simul docerent, omnes prophetarent, sicut omnes sunt iudicaturi? Nonne sanctuarium veritatis in babelicam transiret confusionem? Concilium oecumenicum vaticanum primum est congregatio solemnitate et numero praestantior, quam quaevis alia. Singuli in ea, iure quidam dignitati episcopi insito et privilegio alii, votum sunt emissuri, et non singuli in singulis quaestionibus loqui tenentur et discutere: quod si fieret, tempus tereretur, periclitaretur ordo. Ubi singuli loqui non debent, ubi singuli nec immo possent, confugiendum est ad repraesentationis auxilium. Si populi integri congregarentur ac discussionibus participarent circa rempublicam, spectaculum ederent non ordinis sed horroris intolerandi. Ad istud monstri vitandum necesse fuit, ut populus repraesentaretur per deputatos, qui pro eo loquerentur ac rem definirent. Animadvertas hic tamen velim, agi de vera, non autem ficta repraesentatione, quae est perniciosissimum mendacium. In politicis saepe ficta, in Ecclesia semper vera repraesentatio est. Adde, quod in nostro systemate soli repraesentantes loqui deberent, at omnes absque exceptione sententiam darent adeo, ut repraesentationis subsidium interveniat tantum quoad numerum oratorum et loquendi rationem. Oratores repraesentent maiorem partem, vel etiam minorem consessus, a qua sint delecti. Quamquam fieri posset, ut individuum, etiam neminem nisi se

ipsum repraesentans, aliqua momentosa sit prolaturus. Quod contingit interdum, plus quam ex amore superbae singularitatis vel ex aliorum despectu, cui placet illud: *L'averli fatto parte per te stesso*, ex bene agnito placito S. Spiritus, qui se revelat etiam minimis. Ei itaque adimeres loquendi facultatem? Non asseram. Quis enim patietur, veritati claudi ianuam? Libertas loquendi non est tollenda, at simul non sunt consumandae horae et dies in sermonibus adiaphoris vel importunis vel repetitis. Quomodo ergo his incommodis occurri potest et brevitati prospici? Miretur nemo, si ideam schematis discussiones moderaturi hauriam ab iis quae in publicis collationibus usuveniunt. Bonum et utile accipiamus, undecumque venerit. Ethnica delubra et ornamenta eorum an templis christianis non profuerunt? Diabolus est logicus incomparabilis, qui mentitur in praemissis, ut mentiri et decipere possit in consequentiis. Quid ergo? Logicae vale dicemus propter hoc? Dicam modo quid sentiam. Patres dividi possent e. g. in duodecim officia et amplius, distincta secundum varietatem regnorum, provinciarum, verbo locorum. Haec singula officia in specialibus congregationibus discutiant assignatam portionem oblati schematis. Si post hoc laudati Patres, ut contingere solet, scindantur in partes ob dissensum circa substantiam vel accidentia, unaquaeque pars suum deligat oratorem, a quo repraesentetur suo tempore in generalibus congregationibus. Quod de uno dicitur officio, de aliis singulis dictum velim. Quo peracto, conflentur simul maiores factiones suffragantium et simul pariter minores, deinde et

illae et istae in generali conventu loquantur per paucos electos oratores. Non desint tamen sanctae Sedis commissarii, qui schemata et explicent et tueantur: verum haec tantum obtinent in discussionibus generalibus. Recepto schemate in genere, fiet transitus ad eius emendationem vel enunciationem deligendam. Hoc in stadio discussionis, integrum sit cuique Patri poscere loquendi facultatem ad proponenda specialia temperamenta locutionis pro schemate recipiendo: quibus peractis, ad generalia suffragia fiat gradus super integro schemate.

Haec sufficere interdum possunt in iis, in quibus enunciationis forma non ingerit difficultatem. Sunt tamen quaedam, in quibus aurificis lance pendenda sunt verba ipsa, ne vel dogma ipsum offendatur, vel nota inurantur doctrinae catholicorum tolerandae. Notissimum est pro primo supposito verbum *Homousion* a Nicaenis Patribus excogitatum. Item Tridentini Patres studiose formulam invexerunt, qua et dolorem ex gehennae metu conceptum in se bonum esse contra nuperos protestantes declararent, sed et insuper non dirimerent quaestionem inter scholasticos obortam de illius sufficientia ad veniam in poenitentiae sacramento consequendam. Excogitata formula *disponit* Patres rem acu tetigisse dicendi sunt. Ex hoc tamen verbo et aliis argumenta eruunt nuperi scriptores ad probandum, sufficere, iuxta Patrum doctrinam, dolorem ex gehennae metu conceptum ad veniam in sacramento obtinendam (1).

(1) V. Benaglia, *Dell'attrizione*, ecc. volumi 2, Milano, 1846.

Hisce in casibus recensitis, legenda est Patribus ordinatim formula dispositionis, ac audiendi singuli qui proponere velint temperamenta ad eam pleniorem reddendam vel magis exactam, quae temperamenta sunt iudicum suffragiis exponenda. Postquam vero per singula emendata sit, ut visum fuerit, omnis oeconomia dispositionis, dentur suffragia complexiva super articulos propositi schematis.

Succenseat nemo, si ad artes iuristarum et politicorum oratorum ego confugerim. Si aliam quis edoceat, qui disputationes longiores, vel absonas recidat, positiones determinet, ordinem constanter servet, atque ad decisiones ducat, sine alicuius querela, saltem quoad formam, me pergratum proferam. Ceterum si fori usus, si politicorum concertationum systema nos quidpiam utile edoceant ad regendas conciliares disceptationes, cur non eum sequemur ordinem? Profecto veritas emergeret etiam ex minus regularibus discussionibus; non enim ab ipsis pendet virtus Spiritus Sancti. Ita catholici sentiunt. Habenda tamen etiam ratio est acatholicorum. Qui non credentes assistentiae Spiritus Sancti in concilio episcoporum, dum tamen credunt spiritui privato, optandum est saltem, ut noscant, disputationem ita ordinatam incessisse, ut naturalia media haud defuerint ad assequendam veritatem.

Dices autem: Materia et forma discussionum nonne secreta sunt, proindeque latent quaquaversus externos? Fac etiam constanter delitescere secretum absconditum in corde mille virorum, computatis nempe Patribus, theologis, familiaribus, stenographis; ordo et forma disputa-

tionum debet et hominibus conciliaris conclavis placere ipsorumque fiduciam excitare. Quamquam secretum est temporarium et, peractis decisionibus, historia aperiet nobis ordinem disputationum; secus suspicarentur mali homines, defuisse plenam discutiendi libertatem. Quam libertatem magis tuebitur disputationum quaedam publicitas, non colligata nempe secreti lege, qua non detinebantur Tridentini Patres. Ita censet modernus scriptor gallus, cuius affirmatio et in iure et in facto mihi egere explicatione videtur. Re enim vera periculum revelandi quae in aula conciliari fiant aliquibus certe Patribus timidioribus posset, si non os obstruere, certe linguam quadantenus impedire, dum plura centena Patrum, licet secreto adstrictorum, possent libertati suae satis consulere. Est autem ratio valde dubitandi, Tridentinos patres fuisse ab omni vinculo naturalis secreti solutos (1), licet nil praescriptum sit in sess. secunda. Suspicetur nemo, nos de methodo discussionum pertractantes ea proponere quae minus congruant cum iis, quae a ss. D. N. Pio IX praescripta sunt in litteris apostolicis 27 Novembris 1869. Hic nempe sapientissmae regulae traditae sunt § VII. Praevidetur enim casus, quo schemata praebeant occasionem Patribus abeundi in diversa, eique occurritur. Schema enim ipsum, quod Patrum observationes criticas suscitavit, traditur vi-

(1) Desjardins, *Liberté des Pères au Concile* in periodico: *Revue critique de la législat. Tome* 37, 1re *livrais.* Caeterum secretum Concilii Vaticani nititur antiquis exemplis, ut innuitur in apostolicis litteris 27 novembris 1869, n. 3, et hodie magis necessarium ob libertatem typorum contra Ecclesiam.

ginti quatuor delectis viris, ut illud ad normam observationum reforment. Ast pone post has emendationes nova exoriri dissidia, et tunc potior modus ea abrumpendi in hoc consisteret, ut proponantur temperamenta singula singulis donec placeant atque per plures, si non omnes, acceptentur. Verum hiccine etiam numerus coletur idolatrico cultu, ut in politicis civilibusque conventibus, in quibus vis arithmetica interdum facit obmutescere iustitiam, rationem, communem sensum? Parce, quaeso, temerare coetum hominum in nomine Dei congregatorum, et quorum in medio Deus ipse adest. Scias, Concilio adsistere Spiritum Sanctum, quo iuvante, emergent decreta, licet more hominum confecta. Si numeri rationem non habeas, nec item suffragiorum. Quae autem collectio iudicum absque suffragiis? Aut quis horum valor et significatio absque numeri consideratione? En medium ordinarium, quo Spiritus Sanctus in Conciliis suam prodere solet sententiam; secus autem extraordinariis, ideoque portentosis uti deberet. Praesentiam suam, non thaumaturgicam operationem pollicitus est Christus; infallibile opus humanum, non divinam operationem. Verbum Ecclesiae, ut ut infallibile, a verbo Dei discriminari debebat.

Ceterum in definitione dogmatum curanda est, quantum fieri possit, unanimitas. Quae si omnino nequeat obtineri, tunc integrum erit Rom. Pontifici, etiam pluribus reluctantibus, ad definitionem venire dogmatis. Ipse enim, infallibilitatis praerogativa donatus, potest ad definitionem procedere, paucis etiam fultus suffragiis. Sed de hoc rursus et copiosius.

Contingere potest, ut quem incessat magna disserendi libido illumque trahat ad loquendum sine numero et mensura verba vel a re absona, vel futilia iactando cum mora intolerabili, in iis maxime, quos graves dioecesanae curae domum vocarent; contingere immo potest, ut ex duabus oppositis aciebus longiores procedant discursus, quin sibi invicem unquam occurrant; modum proinde invenire necesse est legalem abrumpendi importunam garrulitatem. Politicis in conventibus in medio disputationum nimis ultra productarum quilibet ex congregatis surgere potest finem petiturus. Petitioni ius facient suffragia sedentium. Dum autem ista et superius dicta scriberem, providissime advenerunt die 20 Februarii 1870 nova iussa, quibus Concilii Vaticani praesides compleverunt Pontificis nomine apostolicas literas *Multiplices inter*, et discussionum modum perfecerunt. Ad tramitem novi moniti clausura posset suffragiorum numero adoptari, si modo decem ex congregatis eam postulent. Quod ne putes libertati conciliari adversum. Sine hoc moderamine enim, quod tamen semper maiorem libertatem Conciliis relinquet, quam quae aliis insit comitiis, Concilium oecumenicum saeculi XIX usque ad finem mundi perdurare posset in urbe aeterna.

Sic autem proceditur ex novissima norma. Adoptata per plurium suffragia discussionis clausura, per aliquot dies conciliaris deputatio cognoscit temperamenta vel correctiones in scriptis exhibitas, discutit, acceptat in toto vel ex parte. Post haec eduntur omnes hae propositae emendationes, et post tres dies a distributione exemplarium Patres vocantur ad ferendum de his suffragium.

Praeterea imprimitur postrema redactio emendati capituli, distribuitur, examinatur a Patribus, et securae trutinae subiicitur suffragiorum. Sequenti congregatione per *placet* vel *non placet* dantur suffragia de schemate generatim. Sed quia inveniri possunt aliquot *placet iuxta modum*, hi postremi examini subiiciuntur a deputatis in concilio postea relaturis. Si proponerent mutationes in redactione iam approbata, fit necessarium novum per suffragia experimentum. Post hanc discutiendi formam authenticam, auctoritate supremam, insitaque sapientia laudabilem, revoco regulas, quas zelo boni dictaveram. Provide statuitur, ut temperamenta et emendationes scriptis consignentur. Sic enim et maturius pensitantur a proponentibus et commodius ab aliis examinantur. Quod denique hae regulae sint feliciter excogitatae, eruitur etiam ex laeto successu ad quem perductae fuerunt huc usque habitae disputationes.

CAPUT VI.

DE VITA IURIS CANONICI.

Dispiciendum modo est, an ius canonicum sit adhuc vivum, an vitale, num vero potius dicendum sit mortuum, immo putrescens. Nonnullorum sententia est, illud adeo mortuum esse, ut numquam possit reviviscere. Verum dum ei hic atque illic iusta persolvuntur, quasi omnino actum de illo sit, nos minus tristia de illo ominamur, remurque illud adhuc vivum esse, quin immo etiam vitale,

et tamdiu, quamdiu perduraverit Ecclesia. Non ne haec est societas et numeris omnibus absoluta? Quae autem societas stare sine legibus potest? Aut quae leges Ecclesiae, nisi canones ipsi? Re enim vera adest materia mere spiritualis, quae sine legibus stare non potest, et hae leges debent ab Ecclesia exire. De sacramentis non statuunt leges civiles sed ecclesiasticae, neque sine his consistere possunt hae, ut ut divinae, institutiones. Leges enim ecclesiasticae, si non determinant, explicant saltem eorum essentiam, determinant vero modum. Personae item, quae ecclesiasticam constituunt hierarchiam, poterunt ne non esse subiectae legibus Ecclesiae? De his coniuncte cum caeteris statuet ius civile quoad iura civilia et onera, at nil potest decernere qua sunt personae in sortem Domini vocatae et certis ecclesiasticis muneribus addictae. Neque exceperis Regulares, quasi ab omni societate civili etiam catholici nominis expulsos. Leges enim civiles vexare poterunt Regulares, illosque qua tales et in corpus conflatos, iure civili quidem, non autem naturali, possidendi privare; non autem illos absolute impedire, nisi acatholicum sit imperium atque tyrannicum omnino. Libertas enim se se associandi vivendique simul ubique gentium recognoscitur. Specialis quidem ordinis habitus poterit per vim prohiberi: at numquid habitus monachum constituit? Impedietur habitus, quo religiosi se foris produnt declarantes cuius sint institutionis; verum quis valeat impedire observantiam Regulae quae modum determinat interioris conviventiae? Id autem essentiam efficit religiosi status plenamque votorum

exsecutionem. Votum autem paupertatis componi potest cum proprietate personali, quibusdam vinculis in foro conscientiae subiecta: quae proprietas individua, dum singulorum prospicit sustentationi, nullius officeret voto paupertatis in sua essentia considerato. Quoad ergo personas, ius ecclesiasticum omne suum robur practicum servat. Dices tamen: At de iis iudicare in quaestionibus de *meo et tuo*, nec non in delictis communibus, non est fori ecclesiastici. Video: sed huic iurisdictioni iampridem per Concordata cesserat Ecclesia. Concordata autem non peremerunt ius canonicum; verum super eius fundamento sunt constituta, praeter quam quod iudices ecclesiastici decernere solebant etiam iuxta civile ius secundum materiae naturam. At materia iuris canonici valde restricta. De sacramentis, de ecclesiis aliisque huiusmodi in eodem statu permanet, nec non de privatis oratoriis. Sed quanta in reliquis ecclesiasticae iurisdictionis amputatio! De sepulturis earumque iuribus canonicae leges partim silere coguntur; non enim modo inquiri poterit de iure sepulcri in ecclesia, cum in pluribus inter catholicas gentes haec tumulatio sit vetita et mortuorum cadavera ferantur extra pomoerium. Stant vero in viridi observantia, ut aiunt curiales, quae de coemeteriis catholicis ab Ecclesia sunt constituta, eorumque separatione a tumulis haereticorum. At num inutilia evaserunt quae de beneficiis ecclesiasticis sacri canones sanxerunt? Haudquaquam omnino. Beneficia enim ecclesiastica, licet pluribus in locis, frustra obnitentibus episcopis eorumque Capite, minuta fuerint numero et redditu, perseverant adhuc substantialiter. Enim vero sicubi ius

perpetuum beneficiati non exerceatur amplius in determinatos fructus praediorum vel decimarum, de quibus libera retineatur administratio, retinetur tamen atque ad actum reducitur circa redditns vel syngraphae vel pensionis a gubernio solutae vel solvendae. Hic demus valde offensum fuisse Ecclesiae ius et libertatem, at permanet semper ius beneficiati circa temporalia beneficia, semper et ubique onus a beneficio impositum proviso. Cessabit saltem, inquies, ius ecclesiasticum circa patronatus, de quibus postremis hisce temporibus facta est magna clades. Fateor: non tamen penitus exolere existimo leges illas sapientia refertas, quae materiam regunt iurispatronatus. Quidquid egerint rebellionis promotores, numquam assequentur, ut populus catholicus sine episcopo eiusque capitulo et sine parochis vivat. Quod si quae beneficia vel parochialia vel capitularia sint patronata, simul permanebunt cum conditione et onere, quod coniunctum habent. Adde, quod ubi leges civiles peremerunt beneficium simplex atque non gratis permiserunt patrono illius occupare ac etiam divendere dotem, in argumentum saltem verecundiae, agnoverunt in patrono ipso onus perpetuum curandi ut adimpleantur beneficii obligationes. Pone ergo, patronum ipsum per syngrapham promittere sacerdoti certam annuam pensionem ad vitam, si modo celebret missas praescriptas, confessiones audiat, adiuvet parochum et similiter, quis non videat, reviviscere in hoc casu quae de beneficiis ac patronatu sunt statuta? Hinc fit, ut rarius quidem at etiam nunc contingere possit variis in regionibus catholicis, ut potestas ecclesiastica leges cano-

nicas debeat applicare in facti specie, et cum hac iusta norma decernere, num et cui competat ius ad beneficium vel ad patronatum.

Iurisprudentia canonica, quae respicit delicta poenasque contra ea statutas, pergit in Ecclesia vigere, paucis immutatis. Quid, quod? Num leges civiles poterunt immutare naturam actuum ab Ecclesia praescriptorum? Id unum efficere potest civilis legislator, ut externum auxilium desit Ecclesiae in puniendis et coërcendis suarum legum violatoribus. Sic tamen Ecclesia, suis relicta viribus, utetur iure suo mediisque coercitionis, sibi a Cristo Domino relictis. Adverte tamen quoad poenas ab illa in graviores delinquentes latas provide a regnante Pontifice immutatum fuisse codicem. Hinc est quod morum et canonum doctores dabunt operam explanando, potius quam bullam *Coenae*, nuperam Pii IX quoad reductionem poenarum. Dixeram generatim rem sacramentariam legibus ecclesiasticis subesse. Ecclesia enim, accepta a sponso suo Domino Iesu per traditionem materia et forma, suum esse duxit praescribere ritus sacramentorum. Verum quum matrimonium bifrons appareat, quod rationem habeat tum sacramenti tum contractus (qui tamen, bona iurisconsultorum pace dixerim, improprius est), hinc est ut civiles legumlatores arbitrati sint aliqua praescribere non solum quoad effectus civiles, sed etiam, quod magis mirere et lamentaberis, quoad eiusdem vinculi substantiam. Immo suismet saepe legibus in proposita materia legibus ecclesiasticis contraiverunt. Sed quidquid sit de infandis nisibus societatis civilis, quae matrimonio sacrum inde-

lebile sigillum vellet adimere, illudque per coenosam lutulentamque viam trahere ad vulgaris contractus naturam, Ecclesia de sacramento et contractu, ut aiunt, curam geret, sectando appositas, quas provide tulit, leges. De validitate itaque coniugii non alias sequitur Ecclesia agnoscitque leges, quam suas, licet toleret quae iisdem non repugnent, optetque simul ut fideles, quamdiu illae ad peccatum non ducunt, se se submittant ad effectus civiles consequendos tum pro se tum pro sponsis, quas duxerunt in domino, tum denique pro prole et qui nascentur ab ea. Sed de hoc iterum, et modo iam satis.

Iam paucae hae observationes abunde probarent, ius ecclesiasticum adhuc in vivis esse, neque unquam plene moriturum, quamdiu Ecclesia perstiterit. Quae cum sit societas perfecta, independens, regaturque legibus propriis, iuri ecclesiastico sic perpetuitatem praenuntiat. Sane contingere hercle potest, sicut quandoque contigit, ut nempe contra eam insurgat societas civilis, licet eidem filia magno et cum lento labore genita. Hinc fiet, ut Ecclesia per certa temporis intervalla nequeat exserere vires suarum legum exterius earumque effectum retinere cogatur in interiori sanctuario suo. Verum non semper hae nubeculae caelum Ecclesiae operient nec ubique terrarum. Profecto Ecclesia nonnulla mutabit in iis legibus, quae disciplinam respiciunt, ita exigentibus adiunctis rerum, quae in dies mutant. Difficile enim est omnes disciplinae partes ita componere, ut integra omnibus gentibus christianis quae sub coelo sunt accommodata sit; impossibile vero efficere, ut eadem pro

omnibus et in omni parte disciplina permaneat in aevum sitque providenter temporibus locisque apta.

Ceterum civilis societatis positio coram matre Ecclesia nec plerumque regularis nec durat. Hic hostilis modus vel a rebellione cuiusque legitimae auctoritatis impatiente provenit, vel a *statolatria*. Utraque autem statum abnormem constituit, qui nequit consistere. Prima ducit ad alteram et vicissim, ac reciprocae ruinae dant operam. Statolatria Ludovici XIV in Gallia paravit anarchiam, immo ochlocratiam, cuius praesentem statum modo referam. Legalis potius quam regularis eius positio respectu ad s. Sedem, utpote quae super Concordato anni 1801 fundatur. Licet autem legalis, inperfecta tamen est, et imperfecta pro statu catholico. Quis enim nesciat, tunc temporis nil potuisse melius exspectari a fortunato milite, quam imperfectam restaurationem qualis in Concordato exhibetur? Gratus Pontifex ei, qui templa catholica reclusit, plus concessit, quam ordinariis temporibus concederet. Quae tamen concessio, ut ut amplissima, satis non fuit futuro provinciarum domitori, qui famosos articulos organicos motu proprio Concordato adiecit, vim pontifici haud libero faciens, qui postea de violata sibi religiosa libertate conquestus est. In hac constituta irregulari conditione Gallia parum profecit in via quae ducit ad catholici regiminis verum systema. Divortium, quod logici legumlatores deduxerunt a civili coniugio, penitus dein aboleverunt; at matrimonium ipsum civile, veluti pretiosam libertatis acquisitionem (sic) retinent. Perimunt filium, servant matrem prolificam omni tem-

pore. Gubernium gallicum progressum est erga systema catholicum, quod sectando natio facta est magna; at sistit identidem in gressibus suis, ac fere se recedere velle minatur. Quid sibi vult ea devotio erga quaedam principia, quae Galliam cruentarunt et modo concutiunt Europae ac Americae gentes? Quid sibi vult occultus ille nisus ligandi libertatem conciliarem, in obsequium evangelii quod regnm capita protexit? Quamdiu (hoc, duce experientia, asseri potest) gubernia Ecclesiam impediunt ne vivat legibus suis, populi tumultuari discunt, nec requiem inveniunt, ut infirmus qui, ut ait poeta, *Con dare volta suo dolore scherma*. Populorum enim status naturalis situs est in observantia catholicae religionis. In id nitatur Gallia, et tandem quiescet. Postquam haec scripseram, illum subiit cruentissimum bellum et catastrophe secundi imperii.

Austria, si litteram inspicias, in legali conditione versatur, quam constituit Concordatum anni 1855. Documentum hoc sapientiam commendat tum s. Sedis, tum imperialis consilii. Profecto nec minus exigere Ecclesia poterat, nec minus dare imperium. Libenter illud analysi subiicerem, eiusque patefacerem catholicam venustatem. At Concordatum hocce, vel prius quam ad praxim duceretur; coepit esse littera mortua; et ne unquam revivisceret, en gubernium imperiale omne sustulit periculum, leges condendo eidem directe adversas. Positio itaque Austriae respectu Ecclesiae extra-legalis est potius in actu quam in iure; vel potius subiective quam obiective. Latae enim ibi sunt leges, quae Concordatum ipsum feriunt, iuraque Ecclesiae fundata super solidiore

fundamento, quam quod Concordatum esse potuerit (1). Nunc peterem quae vis sit in legibus, quae Ecclesiae iura offendunt et ipsius subvertunt canones? quae vis in actibus, qui Concordatis opponuntur? Annon Concordata constant voluntatibus duorum? Quomodo ergo unius partis arbitrio solventur? Qui vero solvit Concordatum, est qui ab Ecclesia beneficium accepit, vel ei tribuit vix quod eidem debitum sit. Oh quantum saepe aberrant civitatum rectores! Arbitrantur enim se inaestimabili favore Ecclesiam prosequi, si ei tanquam hospiti, cui nihil sit debitum, concedant in suis ditionibus immorari, putantque, se propter hanc concessionem pretiosam quam malint conditionem imponere posse. Dixeris imperium olim paganum genuisse Ecclesiam, quae est mater universarum nationum, easque charitatis studio hanc miseram peregre agentem in domo sua recepisse. Conditio itaque imperii legitima in Austria sub Concordato est, extra illud est illegitima, licet sub legalitatis apparentia. Concordatum Austriae cum S. R. Sede redintegravit in imperio iuris canonici observantiam, paucis demtis articulis, qui in ipso Concordato memorantur (2). Haec conventio fecit reflorescere illud iuris, quod vulneratum fuerat a Iosepho II, quodque senio confectum blaterant eius osores. Si nationes terrae, quas sanabiles constituit Providentia, viam sectentur extra legem, infelicem exitum sortientur. Exeant e malo tramite; quod utique

(1) Scripseram haec, antequam Gubernium Vindobonae sedens expresse aboleret dictum Concordatum sub praetextu Sessionis IV Vaticanae.

(2) V. Pertile, *Corso elem. di giurisprudenza eccl.* tom 1, cap. 3°.

sperandum, quia tandem aliquando lex triumphum agere debet. Speranda itaque mutatio in melius et spiritus catholici reviviscentia; tuncque ius canonicum, quod temporibus aptabitur ab his qui pervigilant pro domo Israel rationem pro animabus reddituri, resumet vires suas in catholico orbe. Scio vero, aliquibus non arridere hanc spem. Ego autem dico eis: Si catholicus sensus tam cito non sit excitandus, neque tamen diffidam de providentia Dei, quae scit bonum ex malo ipso eruere. Malum, quod video in terra serpere, est indifferentia religiosa atque libertatis illimitatae improvidum systema. Quid boni eruet sapientia Dei ex hoc iniquitatis fonte? Libertas omnigena ad plenam conducere debet Ecclesiae libertatem. Ecclesia vero si libera, si suis se legibus tueri possit, verbumque suum libere disseminare, tunc profecto prospere procedet regnabitque. Quando vero suis utatur legibus, easque explicaverit coram christiano populo, an ne ius canonicum obliteratum iacebit atque in oblivioso loco repositum?

CAPUT VII.

LEGES ECCLESIASTICAE ET LEGES CIVILES.

Amico se deberent sociare amplexu, quamvis diversissimum eisdem insit obiectum; nam illae hominum actus regunt in via aeternitatis, hae vero in temporis cursu, illae animae, hae vero corpori directe prosunt. Quantum tamen inter easdem dissidium! Quare vero? Audiant

coeli, et terra obstupescat. Oblita est creatura Factoris sui. Voluit enim condere leges a legibus illius abhorrentes et Ecclesiae, quam Dominus formavit sanguine suo et constituit haeredem universorum. Non enim Ecclesia morem gerere debet imperio, sed potius vice versa hoc illi. Numquid enim Deus discet ab homine prudentiam? Prudentia mundi inimica est Deo, et vere est stultitia. Catholicarum gentium gubernia voluerunt ab Ecclesia divertere, et ipsam huius divortii accusant, quasi mater teneretur incedere post vestigia filiorum errantium. Pater expectat prodigum, non eum expectat inter porcos et meretrices. Lamentabilis haec est scissio, quam Ecclesia de medio tollere enixe nititur. Quomodo vero? Docendo omnes gentes legem Dei, clamando sine intermissione adversus impios conatus tenebrarum harum. Civiles leges a divina et ecclesiastica norma exorbitantes pedetentim corriget Ecclesia opportunis obiurgationibus, nec non suasionibus haud interruptis. Si hac tandem audiantur, complebitur reconciliationis opus, de quo valde loquuntur qui illud magis impediunt. Re enim vera qui liberales audiunt, effutiunt, optabile nimis esse ut Ecclesia cum laica potestate reconcilietur, illam huic debere accedere, sese civilibus legibus, temporum rationi, hominumque opinionibus accommodando; hanc supremam esse legem, cui obtemperare sit necesse, et quacum nequeunt consistere canonicae leges, vetustate iam exoletae et pro societate diversi generis latae. Ita ne Ecclesia ambabus ulnis excipiet, quae leges civiles de matrimonio, de divortio, de libertate conscientiae et ecclesiastica servitute aliisve huius generis tulerunt? De rebus eccle-

siasticis eisve connexis imperii et non Ecclesiae erit irreformabile iudicium? Cuius est redire ad patrem matremve amantissimam? Pater prodigi filio resipiscenti parcit, non eius sese, culpabili indulgentia, accommodat cupiditatibus. In iis tamen, quae salva fide morumque honestate a civilibus guberniis oblata possunt ab Ecclesia admitti, absque laesione iurium suorum, quis ignoret, eam paratam esse concessionibus, ut reconciliationis prodigus dilapsus repetat viam? Quod si haec reconciliatio, tantopere exoptata et desiderabilis, peteretur cum detrimento veritatis vel libertatis, tunc Ecclesia eidem non sine maximo angore deberet renuntiare. Illa enim numquam veritati renuntiat, et contra servitutem libero protestatur ore, quia verbum Dei non est alligatum.

Ab iis, qui aiunt, concilium in id eniti debere ut conciliationis viam ineat cum civilibus guberniis, peterem quodnam programma magno huic foederi sit proponendum. Edisserant, quaeso, si perfecta extare possit concordia inter Ecclesiam et gubernium, quod eam neget. Principatus atheus nonne est inficiatio Ecclesiae? Est vero talis, qui matrimonium agnoscat in catholico ab Ecclesia repulsum, in quovis autem absque Numinis interventu. Imperium sine religione, vel quae existat dumtaxat in charta, non permeet in corda, quomodo poterit Ecclesiae consociari? Rursus: stare ne potest inter duos concordia, quorum alter alterius insidiatur libertati? Qui de vi externa libere disponit, is profecto, si fides et honestas non succurrant, eam vertit in Ecclesiam omni vi materiali exutam. Ecclesiam bonis spoliat, ut ex eius

inopia enascatur servilis dependentia; Ecclesiam comprimit sese ingerendo in eius cum Capite suo colloquiis; nam R. *Placitum*, et R. *Exequatur* sunt vincula, quae Ecclesiam intercipiunt in sphaera activitatis suae. Caeterum quoties Reges faveant Ecclesiae actioni liberae eiusque laxant vincla, quae sunt maxima diffidentiae argumenta, toties eam gratam reperiet et bonum pro bono reddere paratam. Quid, quod? Etiam bonum pro malo reddens, iuxta Magistri sui et Pauli apostoli magni effatum, subditos parere docet dominis etiam discolis. Calumniantur eam quotquot effutiunt, eamdem cum rebellibus pacisci. Prodeat, prodeat nescio quis fallacis libertatis apostolus vel *statolatra*, dicatque nobis, quod diploma pontificum, vel quis probatus auctor rebellionum violentos actus exsuscitarit vel probaverit saltem.

Commendandi semper nisus Ecclesiae sibi reconciliandi gubernia, ut ut de fide parum nihilque sollicita, immo etiam eidem adversa. Contendendum igitur, ut in omnibus, quae nec fidei ipsius integritati, neque eiusdem Ecclesiae libertati, neque sacri ordinis decori officiant, gubernii ipsius votis indulgeatur. An non hoc est ius omnium firmissimum? An non haec est omnium pretiosissima libertas? Quali igitur stigmate inurendum gubernium esset, quod iura tam solida, tam inaestimabiles libertates suo non tegeret patrocinio? — Sed enim gubernium nullam fovet religionem, et si unam tutabitur, alteram deseret, sineretque opprimi? An gubernio studendum, quaenam potior inter varias ditionis religiones eique praelatio danda? Gubernantes abstrahunt ab omni religione, ac si nullam prorsus colerent. — Quae apage

berratio! Infelix regio,. quam regerent homines sine religione vel ita agentes ac si nulla prorsus extaret! Sed pone, modernos rectores, aliter ac egerint antiqui ut ut idololatrae, abstrahere a quocumque religioso aspectu, ac si imperarent hominibus sine numine; pone, eos nolle constituere inter illas discrimina, quae a iudicio pendeant eorum intellectus, easque omnes aeque iudicare iudicio tum subiectivo tum obiectivo, quid dicendum de illis automatibus alia moventibus automata? Quem non pudeat ad haec usque descendere? Videant, inquam, saltem regnorum constitutiones legesque eorum. Si politicum statutum catholicismum declaret religionem ditionis, cur illi primas non dederint partes civitatis rectores? Si vero illum agnoscat saltem in facto, ut est, religionem plerorumque civium, cur eius non habebitur ratio, quae debetur maiori subditorum parti? Si tandem religio catholica non distinguatur a caeteris nec in iure, nec in facto, cur saltem non aequiparabitur aliis? Alicubi tamen catholicismus, quamvis numero colentium et iure *constitutionali* caeteras antecellat religiones, peius nihilominus tractatur quam caeterae omnes, eique prae aliis laquei parantur. Istudne sapit, sin reverentiam religioni catholicae seu universali, saltem aequalitatem illam, quae inter pares asseclarum numero esset adhibenda? Quamvis autem alicubi et aliquando religio catholica a guberniis nullius vel oppositae religionis contemnatur variisque modis torqueatur; numquam tamen illa desiit pro persecutoribus orare, neque minus promptam se Ecclesia exhibuit ad guberniorum desideria complenda, si quae catholicis iuribus, iustitiae et sanctitati non ob-

sisterent. Itane est omnem reconciliationis viam respuere? Iudicent honesti!

Leges ecclesiasticae *statolatris* videbuntur hostiles civilium legum latoribus; ast hercle iniuria. Pastores Ecclesiae et veneranda concilia dum leges promunt, societati ecclesiasticae prodesse nituntur, et reapse prosunt. Indirecte tamen, sensimque sine sensu ipsas leges civiles sanant, quae nimis paganismum redolent. Semper tamen Ecclesia legibus suis hoc civilitati christianae adiumentum tulit, ut nempe legum civilium emendationi adlaboret, quin tamen hoc velle efficere data opera monstraret. Dum enim leges civiles res sinunt vendi quocumque pretio, dum posteriores remedium denegant laesis intra pretii dimidium; dum fas declarant marito occidere adulterum cum uxore sua deprehensum; dum initio praescriptionis longissimi temporis et in ea prosequenda numquam bonam fidem exigunt; dum ad validitatem sponsalium requirunt semper parentum consensum, neque utriusque sponsi consensum reposcunt ad ea solvenda, dum tantum ex iustis nuptiis repetunt affinitatem permittuntque uxori post quinque annos ab absentia mariti ad nova convolare vota; dum liberis ex damnato coitu susceptis nec panis frustum tribuunt; dum tandem nullam dant civilem actionem nudis pactis; canonicae leges e contrario in his omnibus iuri naturae magis adhaerent, sensumque aequitatis persequuntur. Postquam autem lux christiana in orbe terrarum fulsit, leges imperiales in omnibus non sunt secutae spiritum religionis christianae. Quod fortasse perpendens Hieronymus: « Aliae, aiebat, sunt leges Caesa-

rum, aliae Christi. Aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit (1). » Civilibus vero in societate christiana praevaluerunt canonicae leges, quoad materias matrimoniales, et acceptatae sunt a canonibus propositae emendationes. Numquam tamen, ut nostris hisce temporibus, civilium legum latores ausi sunt temperare canones, regrediendo patenter ad ethnicam obscuritatem.

Magni, et merito, factae sunt canonicae leges a iurisconsultis etiam acatholicis. Quoties ad eas confugiebant qui de iure gentium pertractabant! Quum Lutherus insana rabie correptus Pontificum decretales flammis absumpsit, tunc illud aegre tulerunt iurisconsulti Vitenbergenses, auctoritatem iuris a monacho apostata proscripti conservarunt, eodem utentes in causis publicis, feudalibus et civilibus, prout testatur haud certo suspectus Boehmerus (2). Admiranda legum ecclesiasticarum oeconomia! Quae in eo potissimum sita est, ut ab actibus irritandis, quantum fieri potest, parcant, sicque melius consulant communi libertati. Sententia Ulpiani Iurisconsulti hic me sistit. Perfecta, ait, lex est quae vetat aliquid fieri, et si factum sit, rescindit, qualis est lex..... Imperfecta lex est, quae vetat aliquid fieri, et si factum sit, nec rescindit, nec poenam iniungit ei, qui contra legem facit, qualis est lex Cincia..... quae plus quam donari prohibet exceptis (personis) quibusdam (velut) cognatis, et si plus donatum sit, non rescindit. Minus quam perfecta lex est, quae vetat aliquid fieri, et si factum sit, non rescindit, sed quae poenam iniungit ei, qui contra legem facit, qualis est

(1) S. Hieronym. in ep. ad Ocean. de morte Fabiolae.
(2) Ius. eccl. protest. l. 1. tit. 2.

lex Furia testamentaria, quae plus quam mille asses legati nomine mortisve causa prohibet capere praeter exceptas personas, et adversus eum, qui plus ceperit, quadrupli poenam constituit (1). Tres gradus legum ponit. Perfectior, iuxta eum, in prohibitione, irritatione et punitione actus consistit. Leges recentes plerumque irritant actum quem vetant, et praescribunt formam sub poena nullitatis, si omittatur. Normam intelligendi leges, maxime ecclesiasticas, et iudicandi an sint mere prohibitivae vel etiam punitivae actus, sive illum etiam facientes irritum, discere poteris ab auctoribus, quorum instar Reiffenstuelus (2). Quod autem interest nosse, hoc est, leges ecclesiasticas quandoque vetare dumtaxat vel etiam poenas trasgressoribus adiicere, quin tamen actum irritent ipsum. In quo mira elucescit sapientia. Duo proferam exempla ex Tridentino. Intererat valde, et urgebant galli oratores, ut irrita declararentur clandestina coniugia. Magna tamen disquisitio hac de re facta fuit, et multi in contraria ibant. Praevaluit tandem sententia Campegii stantis pro irritatione, ut refert Paulus Sarpius (3). Provida haec irritatio, aptaque, ut par est, ad matrimonium, quod est novae legis sacramentum, secernendum a contractibus communibus. Alterum est de coniugio filiorum familias insciis parentibus, vel invitis. In nuptiis requiritur consensus utriusque contrahentis, et iure naturae

(1) V. Iurispr. Iustin. quae supersunt in usum m. acad. recens. annot. Ph. Edvardus Hüschke edit. alter. Lipsiae 1867, in aed. B. I. Terbneri p. 472.

(2) *De reg. Iuris* in 6°, Reg. 64.

(3) *Stor. del Con. di Trento*, lib. 7.

sufficit. Consensus parentum est de quadam decentia et honestate, non vero de necessitate. Rationabile valde est, ut filii familias in omnibus, praesertim vero in gravioribus vitae negotiis, deferant illis obsequium. Hinc Ecclesia, teste Tridentino, semper detestata est nuptias filiorum, inconsultis parentibus. Immo omnes gentes has concorditer reprobarunt, ut probat Muscettula (1). Diebus Tridentini conquisitio magna facta est super hoc. Galli postulabant ut irrita redderentur (2). Sed concilium sententiam quidem reprobationis, non deletionis emisit. Recte quidem et iuri naturae conformius. Adest enim eo in coniugio, quod ius naturae requirit ad validitatem actus, consensus nempe partium sui compotum necessariis solemnitatibus circumvestitus; deest vero, quod ultra strictum ius exigitur a lege morali.

Leges ecclesiasticas et civiles addiscere quadantenus clerici debent ob eorum institutum et quia cum hominibus versantur, in qua consuetudine plurimum proderit earum notitia. Et primum illae sunt addiscendae, quae in Vaticano concilio continebuntur et aliae, quas hoc intactas adhuc relinquet. Omnes enim et propriae vitae recte conducendae et alienae dirigendae proderunt. Leges autem civiles semper erunt servandae, modo obedientia Caesari non complectatur inobedientiam Deo. Pro se et aliis has nosse debent, ne se cum aliorum scandalo et offensione et proprio periculo inobservantes praebeant, neve fideles, maxime pauperes, derelinquant in tricis. Sunt enim clerici obvii, nec mercenarii, defensores pauperum et advocati.

(1) *De sponsal. et matrim. quae a filiisf.* ecc. Dub. 1.
(2) Pallavicini, *Stor. del Conc. di Trento*, lib. 22, cap. 1. N. 17.

CAPUT VIII.

IURIS CANONICI INFALLIBILIS CUSTOS, INTERPRES ET AMPLIATOR.

Sacri canones a fide et moribus non sunt alieni, sed illa intimius pervadunt; adsit igitur necessum est eorum custos, interpres et adauctor, qui sit falli nescius. Quis autem hic, nisi R. Pontifex? Cogendum ne erit generale concilium, ut perpetuo sedens, pervigilans, declaret statuta maiorum, aut ut sensum explicet antiqui alicuius decreti conciliaris vel pontificii? Aut a solo concilio generali expectandae novae constitutiones, quas pro ratione temporum edi expediat? Minime gentium. Providentissimus auctor Ecclesiae, ipsiusque amantissimus Sponsus posuit Pastorem maximum, qui pascat doctrina agnos et oves, fideles et sacerdotes; posuit doctorem, qui absque errandi periculo doceat scientiam salutis; fidelem, tutissimum, ob precem Incarnatae Sapientiae, qui et labantes in fide confirmet; iudicem supremum, cuius sententia rata habeatur in coelis. Sed enim, ut presse rem conficiam, aio infallibilitatis donum quo Petrus eiusque in Romana sede successores aucti sunt divinitus, verum constituere absolute evangelicum.

Re enim vera D. N. I. Christus praerogativas contulit omnibus simul apostolis, coniunctim tamen cum Petro eorum principe; illaeque sequentibus locis continentur (Luc. VI, 13; Matth. X, 2; Marc. III, 13; Luc. X, 16; Matth. X, 40; Ioh. XIII, 20; Matth. XXVIII, 18; Marc. XVI, 15: Ioh. X, 21). Alias autem ita Petro contulit,

ut ei tantum eiusque in dignitate successoribus possint aptari. Huiusmodi sunt, quae Ioh. I, 42; Matth. XVI, 18, 19; Ioh. XXI, 15; Luc. XXIII, 31. Ordiri libet a verbis Matthaei XVI, eaque enucleare. Siscitante Domino discipulos, qualis ipse vulgo haberetur (Quem dicunt homines esse filium hominis?), iisque respondentibus historico modo: *Alii Iohannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam aut unum ex prophetis;* urgente dein eos de proprio conceptu promendo: *Vos autem quem me esse dicitis?* emisit Petrus solemnem eam professionem fidei: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Singulari professioni fidei respondet Iesus singulari collatione privilegii. In primis vero animadvertendum est, non sine mysterio a Christo nomen fuisse mutatum filio Ionae. Simon, vocatus deinde Petrus, per quamdam allusionem ad petram (quae agnominatio perstat in sirochaldaico, in graeco, latino, italico, gallico, hispanico idiomate, non autem in germanico) quia fundamentum futurus erat Ecclesiae, non quidem mobile, ut placet nonnullis, sed firmum, et inconcussum (Ioh. I, 42). Sane magnum verbum tunc dixit Simoni Iesus, quem intuitus est, antequam alloqueretur; atque hic intuitus magnum profecto aliquid innuit. Ad novum itaque Apostoli nomen respiciens Iesus, ea protulit verba: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Sed vix antea eum depraedicaverat beatum, eiusque fidem coelitus obortam. In recitatis verbis solum statui primatum Petri, non vero eius infallibile magisterium clamant nuperi Gallicani. Proindeque positum fingunt fundamen-

tum Ecclesiae nutabile, et centrum erraticum. Dignum ne divina sapientia istud aedificium? Verum in illis verbis probationem extare primatus, non autem *infallibilitatis* existimat Kenrickius archiepiscopus S. Ludovici in rebuspublicis foederatis Americae septemtrionalis (1), quia caeteroquin haec eadem prerogativa communicata censenda sit et Apostolis aliis, qui a Paulo et Iohanne (Eph. II, 20; Apoc. XXI, 14) dicta sunt fundamenta.

Perbelle quidem: neque enim nos, neque Eminentissimus Dublinensis ab eo fustigatus, inficiamur apostolos collectim sumptos cum eorum capite fundamentum constituere tutum Ecclesiae et falli nesciam auctoritatem. Quod eodem recidit ac asserere, Pontificem cum Concilio Episcoporum vel cum his dispersis infallibilitatis praerogativa donari. Quod solus est Petrus, non idem erit cum societate episcopatus? Verum illud idem quod cunctis tradidit Apostolis simul sumptis, contulit et Petro singillatim accepto. Non itaque opus est ad alias confugere expositiones vulgati loci Eph. II, illudque accipere vel de fundamento doctrinali, vel de motivis credibilitatis, quum apostolis adiecti sint prophetae, qui tamen ad Ecclesiae regimen non erant vocati. Sed de hoc loco videsis Bellarminum De R. P., Cornelium a lap. aliosque. Palam vero est, hanc rationem fundamenti Petro tributam extendi etiam ad omnes successores, quum res sit de aedificio cum saeculis mansuro. Fundamentum Ecclesiae sunt Apostoli, fundamentum est Petrus, fundamentum Christus, qui et lapis angularis iungens simul

(1) Concio in Conc. Vaticano habenda et non habita.

latera mystici aedificii, nempe ex synagoga et ex gentibus conversos. Perpendantur scilicet varii rei aspectus, et ecce dispungentur apparentes antilogiae, quas hic congerunt adversarii. Profecto Christus est fundamentum Ecclesiae de se incomparabile: quis autem nesciat, R. Pontificem Christi vices in Ecclesia obire?

Dominus item tradidit Petro claves regni coelorum, quae claves supremam indigitant potestatem, ut Lamyus inter catholicos, Kuinoel inter protestantes, aliique animadverterunt. Has autem claves supremae iurisdictionis, quibus aperitur et clauditur, solvitur vel ligatur in terra cum certa ratihabitione in coelis, Petro soli tradidit aiens: *Tibi*, non *vobis*. Uni Petro claves tradidit, sicut unum Petrum posuit fundamentum Ecclesiae. Ad rem Optatus Milevitanus: *Praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni coelorum communicandas caeteris solus accepit* (Adv. Parm. l. 7). Et s. Cyprianus *(De unit. Eccl.)*: *Super unum*, ait, *aedificat Ecclesiam suam.* Tandem s. Franciscus Salesius: *Quidnam obstat*, inquit, *quominus adiunxisset*: *et dabo illi claves regni*, *si illas immediate, ut Protestantes omnium temporum effutiunt, dare voluisset Ecclesiae? Non dixit* illi, *sed dabo* tibi (1). Ergo ad magnum opus fundamenti et officium clavigeri Iesus Petrum delegit, qui tam promptus fuit et fervidus in confitenda eius divinitate.

(1) Haec verba ex sermone 3° de Ecclesia, qui in Biblioth. Chisiana Romae asservatur, eruit Carrichius, *De Ecclesia*, pag. 255. In eodem codice papae tribuitur praedicatum *infallibilis*, quod abrasum postea fuit a Gallicanis ex editionibus operum sancti Episcopi, ut nuper animadverti Mermillod, ep. Hesebon. in p. inf.

Modo transimus ad verba Lucae, XXII, 31, ex quibus infallibile R. Pontificis magisterium nullo negotio eruimus. *Simon, Simon*, ita Christus Petro, *ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic tentatio praedicitur, quae omnes tangat apostolos; loquitur enim Christus numero plurali: *Satanas expetivit vos.* Promittitur auxilium Domini super omnes, immediate super Petrum, mediate tantum super caeteros apostolos. En sapientissima gradatio divinae oeconomiae. Sequitur praerogativa indeficientiae fidei et potestatis eamdem tuto in aliis confirmandi, nempe in fratribus, atque haec uni traditur Petro, ut probatur ex constanti numero singulari, quo Christus Petrum ipsum alloquitur.

Rogavi pro te; dum tamen immediate prius, quando scilicet agebatur de tentatione, loquebatur in plurali: *Expetivit vos;* et progreditur uni Petro tribuens praerogativam inerrantiae et magisterii, quod confirmet fratrum fidem: *Fides tua...... tu vero confirma.* Haud equidem ignoro, protestantes, quibus assentit Kuinoel, dixisse, istud de solo Petro personaliter a Cristo fuisse traditum, non autem ad eius in cathedra successores aptari posse. Atque ex hoc argumentantur praecipue quod verba: *Tu aliquando conversus*, ad Petri resipiscentiam post lapsum referantur. Sed quomodo hic de resipiscentia apostoli tangitur, quum paulo post, versiculo nempe 34, de eiusdem manifeste agatur casu? Totus hic sensus, cui innituntur protestantes, pendet a vi graecae vocis ἐπιστρέψας, quae a Vulgata redditur *conver-*

sus. Illa vox porro accipit etiam sensum adverbialem, ut concorditer asserunt doctores catholici et protestantes (1); immo et adverbiali sensu adhibita etiam fuit in versione LXX interpretum ad instar nempe vocis hebraicae *Sciour*, quae sensum habet et verbi et adverbii (2). Atque ita reponderet vocabulo *rursus*. Perpendens etiam, vocem ποτε stare quandoque pro *nunc*, putarem, hoc modo italice illud commatis reddi posse: *E tu a tua volta conferma i tuoi fratelli*, sicut nempe ego pro indeficientia tuae fidei rogabo. Quamquam, si etiam lectio vulgata retineatur, non video quomodo stare possit protestantium interpretatio, cui hodie catholici infallibilitati adversi adstipulantur. Ponamus ergo, proprie Christum verbis allatis tetigisse Petri poenitentiam; non sequitur inde tamen, ad Petri personam stricte referenda verba alia: *Rogabo pro te*, ecc..... *Confirma fratres tuos*, ecc. Respiciebant, magis quam *physicam*, personam *moralem* Petri, qui erat caput Ecclesiae constitutus; respiciebant propter eamdem rationem, quae erat Ecclesiae regimen ac tuitio, omnes in aevum quotquot futuri essent illius in apostolatus culmine successores.

(1) V. A Lapide et Rosenmüller senior. in h. l.

(2) V. Gesenius, *Thes.* ad voc. Etiam iunior Rosenmüller vocem *Sciouo* psalm. 84 vertit in *Iterum*. In vers. LXX (Lipsiae 1835) ponitur pro ea ἐπιστρέψας. Miror autem hanc adverbialem significationem vocis omissam fuisse non modo ab Henrico Stephano *Thesaur.* l. g. ad v. ed. Didot 1831 — 66; verum et a Schleusner, *Novus Thes. philol. crit., sive Lexicon in LXX et Scrip. apocr.* p. 2, Lipsiae 1829; item, *Nov. Lexic. graec. lat. in nov. Testamen.* Lipsiae 1819.

Res ipsa petit hanc sensus extensionem, respectum nempe ad Ecclesiam eiusque supremos rectores in futurum. Huc enim respiciebat Iesus tribus solemnibus vicibus, quando Petrum allocutus est statuens eum Ecclesiae principem, ut mox vidimus. Caeterum verba Christi occasione lapsus Petri non videntur plene impleta; sunt enim qui putant, etiam fidem tunc ei defecisse, nedum alios in eadem confirmaverit. Hanc extensionem verborum Christi Domini ad successores Petri indefinite agnoverunt et Ecclesiae Patres, quorum instar memorabo tantum s. Bernardum, qui hoc diserte affirmat ep. ad Innoc. II proferens etiam auctoritatem Cipriani ep. 55. Adderem et Theophylactum graecum, qui sic interpretatur, licet tamen post photianum schisma floruerit; adderem et papam Iohannem VIII ep. 77 ad Petrum comitem. Porro si Romani Pontifices cum Petro mandatum accipiunt alios, apostolorum immo successores, in fide confirmandi, non ipsi necessario tuti erunt in deposito fidei retinendo et explicando?

Non regerat itaque Doellinger, locum Luc. XXII eo sensu ut referatur ad privilegium infallibilitatis Petro et successoribus tribuendae, opponi legibus exegesis, sicque primum intellectum fuisse a P. Agathone. Sed eadem interpretatio est in epistola s. Vitaliani p. ad Paulum Cretensem (657 circ.), s. Martini I in Conc. Rom. (620); s. Gregorii M. ad Maur. (594), et ad Eulogium (596); Pelagii II ad episcop. Istriae 580; s. Leonis an. 440 circiter. Idem Bossuetus sic episcopum Tornaci urgebat: Neque tu negare potes, fidem Petri in sua sede numquam esse defuturam: id esse ex

promissis aperte constat, ex traditione universa lucidissime patet (1).

In Petro Christus coronavit non solum triplicem professionem fidei, sed et triplicem amoris confessionem. Ab eo dilectus plus quam a caeteris (nisi enim scisset, non interrogasset: *Diligis me plus his*, ut ait Hugo a s. Victore, annot. elucid. in s. Ioh.) Christus a mortuis reversus ad secundam vitam Petrum constituit pastorem agnorum et ovium (Ioh. XXI, 15, 18). Indubitanter verbum *pasce* (βόσκε) comprehendit omnem spiritualem curam, et maxime officium doctoris in fide. Potior autem insita vis graeci originalis ποίμαινε, ut facile esset probare, testibus lexicographis peritioribus (2). Sed perpende, actionem docendi, regendi, qua Dominus Petrum oneravit, extendi ad agnos simul et oves, nempe ad fideles simul et eorum rectores, non autem solum ad novitios in bono et provectos, ut sentit Theophylactus, interpretationem praebens graeco schismati melius consonam. Verius et clarius Iohannes Chrysostomus, magister eius, qui ait: *Totius orbis ovium praefecturam Petro committit*; *non autem alteri*, *sed huic tradit*: *primum quidem quia omnibus praecellebat* (3). Et s. Leo: *De toto mundo unus Petrus eligitur,*

(1) V. Fénelon, *De s. pont. auct.* cap. 7, et Bossuet, *Médit. sur. les évang.*, 72 *iour.* Guéranger, *De la monarch. pont.*, Paris 1870, p. 203-204.

(2) V. Henrici Steph. *Thes.* ad vocem; et Pape, *Griechisch-Deutsches Handwörterbuch* ad v. In lexico graec-ital. Caroli Schenkl et I. Ambrosoli tribuitur huic voci sensus etiam, *Guido, Signoreggio* (anche della direzione dello spirito).

(3) Hom. s. Ioh. Chrys. in c. ult. Ioh.

qui et universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctisque Ecclesiae patribus praeponuntur. Ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores: omnes tamen proprie regat Petrus: quos principaliter regat et Christus. Quae verba etiam Odo Cluniacensis adoptavit, et in sermones suos transtulit (1). Tandem pro hac interpretatione ita loquitur s. Bruno Astensis, episcopus Signiensis. *Prius agnos,* inquit ille, *deinde oves ei commisit; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres: regit et subditos et praelatos. Omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est. Nihil inquam quod suis pastoribus Dominus commiserit* (2). Quae verba depromere visus est ab Eusebio Emiseno, qui iam a saeculo IV scripserat: *Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit filios et matres, regit et subditos et praelatos. Omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est* (3).

Huic tam clarae expositioni textus Iohannaei contradicit in memorata concione Arch. P. R. Kenrick animadvertens, tum in graeco textu Tischendorfii, tum in arcu impendenti solio Pontificis in basilica Vaticana scriptum reperiri προβάτια, non autem πρόβατα; quae

(1) Serm. *in Anniv.*

(2) S. Brunonis Astens. In Ioh. sub fin., edit. Rom. anno Iubil. 1775.

(3) Hom. in vig. ss. Apos. Biblioth. pp. Lugdun. tom. 6, p. 794.

προβάτια nempe *oviculae* non certe designant episcopos. Si vellem hic aggredi quaestionem criticam, codici obiecto alios longe plures et pluris aestimandos opponerem, nec non etiam antiquas versiones (1). Sed quorsus hoc? Pone legendum esse *oviculas*. Quid vetat accipere hanc nominis formam, non sensu diminuto sed blanditiae causa? Anne indifferenter diceres italica lingua *pecore* et *pecorelle?* Neque id insolens est in graeca lingua etiam novi Foederis. Sic Iohannes ad idem subiectum (nempe fideles) refert modo *τέκνα*, modo deminutum *τεκνία*. Diceres, usurpatum hoc blandimentum ad melius significandam amoris intensitatem. Sive igitur lectionem a Kenrickio praelatam, sive communiorem praetuleris, quid interest? Hoc unum certum est et nemo inficias iverit, pastioni Petri omnes subiectos esse et neminem eximi sive ex agnis sive ex ovibus. Ecclesia universa ad eius pascua vocatur. Cui fundamento inniteris ut excipias episcopos (2)? Profecto si non admiseris discrimen inter agnos et oves, saltem intelligas necesse est universam Ecclesiam a Christo pascendam.

Hisce praemissis ita ratiocinari fas erit. Si unicum pastorem, magistrumque sacerdotem; si unicum depositarium clavium Christi; si unicum confirmato-

(1) Et Bruder in suis Concordantiis Lipsiae 1842 memorat lectionem *probatia* in codice Tischendorfii tunc adhuc edendo. Sed Friedlieb in sua *Harmonia graeca*, Uratislaviae 1847 constanter habet *probata*. Versio arab. habet *pasce arietes*; aethiopica *pasce oves*; syriaca habet *agnos, oviculas et oves*. Evangeliarium Hieros. a com. Miniscaichi editum Veronae habet *oves meas;* sicque pariter evang. codex s. Eusebii ab Irico editus. Mitto alios.

(2) V. Maldonat. et alios in h. l.

rem omnium absque exceptione in fide nutantium; si unicum doctorem subditorum et praelatorum ponamus obnoxium errori in tanta maiestate et solemnitate officii sui, quod exercet tanquam magister supremus et universalis, quomodo divinus Ecclesiae auctor providisset eiusdem firmitati, fidelium securitati, omnium saluti? Idea Ecclesiae sub capite positae falli nescio in rebus fidei morumque declarandis profecto est sublimior, perfectior digniorque hoc portentoso opere Christi, quod in terra prosequitur, ut dixit quidam, incarnationem Christi Domini eiusque fructus continuat ad obitum usque saeculi. Ecclesiae constitutae super vertices montium et firmam petram nutabit ergo fundamentum? Atque hoc erit arctum christianae vinculum unitatis? Hoc efficax virtus ad schismata disrumpenda? Pontificia infallibilitas autem nihil detrahit coetui episcoporum. Quid enim episcopus sine pontifice? Ramus ab arbore praecisus, qui sine vivifico suo trunco arescit. Gloria ergo capitis, gloria totius corporis, maximeque membrorum quae ei immediate strictioreque nexu adhaerescunt: exaltatio patris est magnificatio filiorum nemini invidenda nisi inimicis eorum. Post haec praetereo alia Scripturae loca, quae possem in auxilium advocare; praetereo alios antiquos, recentioresque interpretes, mittens avidiores uberiorum haustuum ad scriptorem, de quo dicere cogor: *Quantum mutatus ab illo* (1)!

(1) Passaglia, *Comment. de praerog. B. Petri*, Ratisbonae 1850, lib. 2, c. 55.

CAPUT IX.

TRADITIO CHRISTIANA, SCHOLAE CATHOLICAE, THEOLOGI, ITEM GALLICANI ET PROTESTANTES CIRCA INFALLIBILITATEM R. P.

Non is sum, qui plenum huius veritatis ad dogmatis dignitatem mox evectae paraverim tractatum ante definitionem vel parare velim post eamdem, ne actum agere velle videar. Nonnulla tamen si collegero praetermissa in tanta opusculorum colluvie quae patiens pervolutavi et memorare omittam iam dicta ne taedio afficiam lectores, quis rectae intentioni audeat succensere? Post evangelicos textus, possem in medium afferre christianae traditionis monumenta. Sed quia ex his alia invenies apud scriptores qui copiosius, praesertim saeculo elapso, rem pertractarunt, alia quae maxime ad archeologiam sacram et imperiales leges pertinent reperies in dissertatione ad calcem huiusce voluminis edenda, ideo supersedeo, contentus fratrum laboribus. Qui vero uno veluti conspectu velit intueri antiquitatis praecipua testimonia, quibus fulcitur auctoritas R. Pontificis eiusque infallibilitas, pervolutet tabulas chronologico-criticas Historiae Ecclesiasticae a Mozzonio inchoatas et perductas ad saeculum VIII, quas dein Aloysius Bilio, modo princeps R. Ecclesiae unusque ex praesidibus concilii Vaticani et alius consodalis Barnabites feliciter prosecuti sunt.

Veniam potius ad theologicas scholas. Primus et eminentior inter proceres scientiae venit s. Thomas,

quem infallibilitatis pontificiae validissimum patronum ambigit nemo. Quum nequeant adversarii eius inficiari clarissimas sententias, eum aiunt in errorem ductum ab apocryphis fontibus. Verum hi quinam? Numquid evangelici textus, quos iam explanavimus, quibusque adhaeret et angelicus doctor? Caeterum iam alii propugnarunt sinceritatem fontium e quibus magnus theologus derivavit haustus suos (1). Densissimum autem agmen ducit theologorum sui ordinis, quos recensuit nuperus scriptor. Sed inter eos reperire non potui tum Gazzaniga, qui mentem suam satis explicat, licet quaestionem non aggrediatur, tum Concina, qui hac de re doctrinam card. Ursii perlibenter amplectitur; tum Rosellium magis hac in re laudandum, quam auctor theologiae ab eo in compendium redactae; tum Chignolium, de quo mox (2). Eamdem tuetur causam s. Bonaventura, quem Franciscani prono secuti sunt pede. Puto idem ab Augustinianis expectari posse, qui Norisii et Bertii nomen possent proferre, idem a Carmelitis; et sic de caeteris. Indubitatum est enim pro doctrina nostra, seu catholica, stare theologos et canonistas cuiusque instituti et regionis. Omitto Iesuitas, de quorum scriptoribus dicendum esset: *Numera stellas, si potes*, et quorum est perfecta concordia in asserenda Rom. pontifici praerogativa infallibilitatis. Mitto s. Alphonsum

(1) V. Opuscula Reali, Uccelli, Bianchi, hac super re.

(2) V. Concina in *Apparatu*, Rosselli in com. theol. N. Alexandri, Chignoli in *praelect.* Quoad vero doctrinam s. Bonaventurae, videsis opuscula P. Fidelis a Ianua, Iesualdi Deluca a Broute, et P. Ludovici a Castroplanio.

de Ligorio, qui enixe hanc thesim tuetur tum in dissert. de Rom. pontif. auctoritate, tum alibi, ut in edito opusculo probat nuperus theologus belga. Huic doctrinae acriter institit modernus episcopus Mechliniensis. Quis dubius haereat in amplectenda doctrina, quam Franciscus Salesius, Alphonsus de Ligorio, Thomas, Bonaventura fecerunt suam ?

Ad theologos pedemontanos nunc deveniens, inciperem utique libenter a B. Angelo a Clavasio, cuius Summam pervetustae editionis prae manibus habeo (1). Sed eum duabus de causis praerogativae pontificiae, qua de agitur, adversum invenio. Vixit enim saeculo XV, schismate Ecclesiam scindente, quo tempore falsa doctrina pontifici dedecora caput extulit. In errorem deinde ductus est a canone *Anastasius secundus*, quem profert B. summista, licet ob intrinseca argumenta, maximeque lapsus chronologicos, nec non extrinseca, se spurium evidenter prodat (2). Illud ipsum erratum ebiberat Dantes Aligherius, qui Anastasium in suo Inferno (XI) cum haereticis confixit. Quamquam neque hunc inter infallibilitatis osores proferre vellem, quum eius sententia intelligi queat de opinionibus privatis et orthodoxam doctrinam satis expresserit notissimo illo tristico: *Avete il vecchio e' l novo testamento, e'l pastor della Chiesa che vi guida; e questo basti a vostro salvamento.* Quis pastor Ecclesiae per antonomasiam di-

(1) Fuit Clavasii an. 1486 impressa prelo portatili.

(2) De auctoritate Pontificalis a Gratiano relati V. Pithaeum ad dict. Can., Berardi, *Gratiani canones*, p. 2, c. 47, Sandini in *Vita Anastasii II.*

ctus, nisi R. pontifex? Revelatio divina et eius legitimus interpres sufficiunt ad salutem. Minus recte qui cum B. a Clavasio docuerint, papam non posse definire in materia fidei absque concilio. Auctoritatis pontificiae adversarii, qui blaterant eum cumulatum fuisse praerogativis ex spuriis fontibus deductis, sciant eadem privilegia vindicari etiam documentis omni exceptione maioribus, ut identidem probatur. Verum haec omnino desunt iuxta sensum apocryphi canonis *Anastasius*. Si qui igitur non indocti et sancti viri, ab iis decepti, minus tribuerint romano pontifici quam quod eius est, veniam merentur. Auctoritati detraxerunt obsequio eidem auctoritati, seu confictis documentis quae genuina putarunt.

Ad theologos et iurisconsultos pedemontanós modo accedens ordiar a clarissimo iureconsulto Iulio Claro Alexandrino, qui de potestate papae agens relate ad concilium, moderate sentit seque ad iudicium remittit ss. D. Pii V (1). Huic adiicio Lucium Ferraris, Solero-Alexandrinum, cuius legisse sufficiat in *Prompta bibliotheca canonica*, etc. articulum *Papa* inscriptum. Hisce autem duobus comitem adscio celeberrimum in R. Curia advocatum Melchiorem Lotterium a s. Damiano de Monte Ferrato (parcant Astenses), qui in egregio opere *De Re Beneficiaria* contendit, non esse de necessitate *extrinseca et coactiva*, ut Pontifex in magis arduis negotiis consulat sacrum collegium, et iudicium de persona R. pontificis, dum gerit vices Dei, soli Deo extare re-

(1) Iulii Clari, *Sentent.* lib. V, § fin. quaest. 35.

servatum (1). Inter subalpinos theologos memorabo Nic. Aug. Chignoli ord. praedic., in Ferrariensi primum dein in Taurinensi Athenaeo s. Facultatis professorem. Tridini in Monteferrato exorsus, atque magistri munere cum laude defunctus, R. pontificis praerogativas et praesertim infallibilitatem solide asseruit in suis praelectionibus de locis theologicis. Piaculum vero esset hic omittere P. Hieremiam Cavalli a Bennettis in Vagiennis ex Cappuccinorum familia. Ob eruditissimum opus de historia et chronologia laudatus a claris viris sui temporis, Fabricy, Sisti et Ogerio, magnae molis scriptum exaravit, in sex tomos distributum sub titulo: *Privilegia Romano Pontifici vindicata*. In eo praerogativa infallibilitatis ample solideque tractatur. Quod opus, licet semel tantum et Romae 1756 editum, in Italia tamen, in Germania et alicubi fortasse innotuit (2). Sed et coronidis loco commendabo A. Soardi, in R. Universitate Taurinensi professorem, qui in opere: *De suprema romani pontificis auctoritate*, ecc. cuso Avenione 1747 in duobus voluminibus in 4° ostendit, semper inhaesisse Ecclesiae gallicanae sententiam de pontificia infallibilitate in decretis dogmaticis. Egregium hoc opus fama pertulit ultra alpes; et Moguntiae recusum Pio VII est nuncupatum. Etiam post annum 1680 nostra doctrina in Gallia strenuos nacta est defensores,

(1) In fronte sec. tomi, edit. patav. 1700 legitur *a s. Damiano de Monteferrato*. V. lib. I, Q. 56 sub fin.

(2) V. *Censoris theologi diatribae* ecc., opusculum p. Fabricy extans in vol. clar. De Rossi *Specimen variarum lect.* p. 260. Hoc opus theologi subalpini, sicut et posterius, laudatur in *Lex. encyclop. theolog.* a script. germanis digesto ad voc. *Papa*.

quos memorat laudatus auctor. Alium insuper theologum subalpinum meminisse gaudeo in monaco cisterc. Sianda monregalensi, qui in *Lexico polemico*, tom. 1, art. *Tilemannus*, plures pontifices purgat ab errore.

Nunc ad alia transeuntes, nonnulla proferemus testimonia, ex quibus liquet neque in clero gallicano per breve tempus extitisse commune contrarium opinamentum. Unde nec ullam proprie scholam habuit patronam. Edisserant quaeso *fallibilistae* eorum scholae antiquitatem, proferant doctorum sanctorumque patronorum coronam. Heri vel nudius tertius exorta, miserrimis Ecclesiae tempestatibus, quot numerat illustria capita? Saeculo XV iam fere dilabente, scissa in tres partes tunica Christi seu Ecclesia, cuius aurigam alii alium putabunt; aetate extraordinaria, qua iura pontificia eo minus aestimabantur, quo minus sciebatur quis esset verus pontifex, sicque a concilio acephalo expectabatur ordo et salus, quemadmodum desinente rege a comitiis vel undelibet expectatur auxilium, eadem schola obscura sortita est natalia, nec progressum gloriosum, neque stabilitatem. Gersonii et Alliaci placita si mitius pro temporum ratione et inordinato Ecclesiae statu habueris, haeresim in se ipsis olent. Cur Bossuetus aliique nonnulli eorum lubricos gressus secuti fuerint, sat abunde notum. Regibus placebat pontificiae potestatis deminutio, ut propriam non sine tamen detrimento augescerent. Non incuso intentionem cuiusquam, nec ulli inficior bonae fidei excusationem, sed magistri, assentatores regum, saepe discipulos habuerunt rectae intentionis et sincerae fidei. Gallicana, im-

merito schola nuncupata, quos sanctos, quos doctos numerat viros? Numerabit fortasse homines sibi fidentes, auctoritatem maximam detrectantes, principum ausibus blandientes, quos habent laudatores. Isti sunt, de quibus nostri saeculi Aligherius: *Per lor sovrasta al pastoral la spada; per lor tant' alto il soglio si sublima, che forza è alfine, che nel fango cada.* Frustra frustra Gallicanismus scholae theologicae inhiat honoribus (1).

Re enim vera episcopi Concilii anni 1626 sic allocuti sunt collegas in ministerio: Honore prosequentur episcopi nostrum patrem sanctum, nempe papam, visibile caput universae Ecclesiae, vicarium Dei in terra, episcopum episcoporum et patriarcharum, breviter, Petri successorem, cui apostolatus et episcopatus debent eorum principium, et super quem Christus fundavit Ecclesiam, ei tribuens caeli claves una cum *infallibilitate* quae prodigiose perdurasse visa est in successoribus suis usque ad hanc diem. Eamdem Galli antistites professi sunt doctrinam in epistolis ad Innocentium X de Iansenismi proscriptione (2). Facultas theologica parisiensis non semel doctrinae de infallibilitate inhaesit, ut cum varias theses confixit Archiepiscopi Spalatensis, et diris pariter devovit anno 1664 Henoticum seu pacificum Teophili Bracheti Milliterii, qui definitiones infallibiles solum a Concilio universali posse oriri docet. Hoc dici non posset, iuxta laudatam Facultatem, absque ingenti ani-

(1) V. Ballerinii S. I. egregium opusc.: *Ius et offic. episc. in fer. suffr.* Typ. Civ. Cath.

(2) V. Rohrbacher, *Hist. de l'Egl.* livr. 87 et De Maistre, *Du Pape*, livr. 17, chap. 7.

marum strage (1). Si ad doctores privatos sermonem converterem, praesto essent Duval, Petit-Didier, Fenelon, Tournely et alii. Non praeteream tamen Pascalium, atque omissis testimoniis a comite De Maistre adductis, unum proferam, quod hausi ex eius scriptis. Ipse enim causam prodens, ob quam optatur papae infallibilitas, ait: « Est amor securitatis, et securitas semper amatur. Remota papae inerrantia, non semper, nec tam cito, optata securitas habebitur (2). » Tali viro non suspecto adiiciam Frayssinoum, qui interrogatus a iurisprudentiae et medicinae studiosis alienigenis, quae pars esset capessenda in quaestionibus gallicanis, respondit, satius esse ultramontanis (gallicanus loquitur) adhaerere (3).

Quum tales habeamus infallibilitatis assertores, quid moremur in percensendis theologis antiquis et recentioribus eiusdem doctinae patronis? Quid tempus teremus in quaerendo, utrum Kenrick, archiepiscopus Baltimorensis stet pro infallibilitate, ut eius successor Spalding autumat, an vero eidem adversetur, ut frater eius modernus antistes Baltimorensis et Dupanlupius episcopus Aurelianensis declararunt (4)? Relictis hisce minoris momenti investigationibus, inquirendum potius in protestantium sensa, quae minus ab instituto nostro absona habeantur. Et primo proferunt catholici apologetae Me-

(1) Bail, *Appar. ad summ. Concil.*

(2) Pascal, *Pensées*, part. 2, art. 17.

(3) Apud Guéranger, op. iam mem.

(4) Haec videsis in epistolis episcopi Aurelianensis, in diario *Le Français*, quod pro eius partibus stetit, et in concione iam memorata archiepiscopi s. Ludovici.

lanchthonis verba, qui ait: *Romani etiam episcopi monarchia ad retinendam tot inter gentes unitatem multum momenti afferret; quamobrem de primatu Papae facile inter nos conveniret, si possemus et de aliis capitibus consentire.* Recte hic Grotius ait, Confessionis Augustanae auctorem persuasum fuisse, *Romanum episcopum, episcoporum omnium caput esse, cuius certa est in omnes episcopos, in ecclesias omnes, in omnes fideles iurisdictio.* Idem ait: *Sine tali primatu exiri a controversiis non poterat, sicut hodie inter protestantes* (1). Doctus autem Salmasius nonne appellat episcopum Romae episcopum episcoporum, patrem patrum, patriarcharum patriarcham, rectorem pastoremque universalis Ecclesiae, ecc.? Atque per similia discurrens magnifica elogia, concludit: *Romanus episcopus idem in totam Ecclesiam ius obtinet et imperium, quod in dioecesim suam quilibet patriarcha.* Leibnitius autem, quem meminisse sat esset, ex magna difficultate conciliorum, quum neque semper per longum tempus possint episcopi deserere plebes suas, necessitatem arguit supremi magistratus infallibilis in R. Pontifice. Per eum enim persona Ecclesiae vivit atque subsistit, ita ut voluntas eius cognosci possit. Hoc est divini iuris, hoc constitutum est memorabilibus Christi ad Petrum verbis. Per haec unus inter episcopos maiore potestate exornatur, ut per eum tamquam visibile centrum unitatis, colligari corpus Ecclesiae possit, provideri communi necessitati, convocari, si opus, Concilium, et convocatum

(1) Melanchthon ad D. Du Bellay; Grotius, *Votum pro pace Ecclesiae,* art. 7, op. Bâle 1731, p. 658.

dirigi, et tempore interconciliari dari opera, ne quid res fidelium publica detrimenti caperet. Alibi vero, ex eo quod corpus unius Ecclesiae catholicae et apostolicae uno regimine et hierarchia universali continendum, iuris divini sit, consequens est, ait, ut eiusdem sit iuris supremus in ea spiritualis magistratus, terminis iustis se continens, dictatoria potestate, omniaque necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiae agendi facultate instructus (1). An Leibnitius est Thomae discipulus? Casaubonus autem scribit, neminem, aliquantulum versatum in historia ecclesiastica, posse dubitare, quin Deus uti voluerit S. Sede, urgente medio aevo, ad salvandas doctrinas fidei (2). Et Cowelius, anglus exclamat: *Unum caeteris praeponi necesse est ad evitanda schismata et dissensiones tollendas.* Cui concinens Cartwyightius. Si *necessarium est*, aiebat, *ad unitatem in Ecclesia, (Angliae) tuendam unum archiepiscopum aliis praeesse, cur non pari ratione toti Ecclesiae Dei unus praeerit archiepiscopus?*

Similia propemodum Puffendorfius, Lockius, Senkenbergius, Robelot, Tobler, quos libenter mitto (3). Non sine tamen moerore praeterirem Starckium, qui docet Ecclesiae catholicae monarchicum regimen esse, supremamque mo-

(1) Salmas. praef. Tract. *De euchar. ad Sirmundum*; Leibnitius. syst. theol. Parisiis 1819; item epist. Lipsiae 1833, p. 5.

(2) Exerc. xv ad annal. Baronii. V. John Milner, *The end of religious controv., lettre* 46.

(3) Cowel in op. *Exam. doctr.* ccc; Cartwyight, *Defens, Virg.* Puffendorf, *De monarch. P. R.*, Locke, *Christ. Raison.* Robelot, *Inst. de la Reform. de Luther, Paris* 1822; Tobler, *Discours aux ames contr.*

narchicam potestatem in Petri descendisse successores; Petrum, cui primatus inerat honoris et iurisdictionis, Romam adventasse; si Romani Pontificis labefactetur potestas, corruere religionem, atque ita ad eius ruinam improvide adlaborare catholicos. Ad infallibilitatis autem quaestionem propius accedens, prosequitur: « Infallibilitatis attributum est solius Dei, sed a Christo Ecclesiae communicatum. Ut igitur caput supremum huiusce Ecclesiae, eidemque intimo nexu iunctum, inter suos praelatos et doctores, ut organum sensuum infallibilis Ecclesiae, Papa non potest errare. » « En, pergit ille, doctrina Ecclesiae catholicae de persona et potestate Papae, unde theses, illius minuentes auctoritatem ex ignorantia proveniunt tum principiorum, tum constitutionis ipsius Ecclesiae catholicae, rationique non minus quam iustitiae adversantur (1) ». Sed incipiendum nobis erat a Luthero, Calvino, Dallaeo aliisque sectarum ducibus, et pergendum usque ad ecclesiam Russiae schismaticae, cuius testimonia ad rem nostram sunt valde magnae auctoritatis (2). Apposite Lamennaeus asserebat, hos omnes exteros catholicis ipsis exemplum praebere temperantiae, nec non orthodoxorum sensuum; hodieque theologos etiam minus pontifici favorabiles absque haesitatione fateri quam futilis sit ea distinctio, a Bossueto cusa inter Sedem et Sedentem, distinctio tempore exasperationis invecta, ut dogma catholicum cum scholae

(1) Stark in *Conv. Theoduli* gallice scripto.

(2) V. testimonia novatorum peneš Chignoli praelect. VII *de locis theolog.*; schismatica vero apud De Maistre, *Du Pape*, liv. 1, chap. 19.

praeiudiciis conciliaretur (1). Nos vero cavillosis subtilitatibus sepositis, lubenter summo Pontifici, nempe sedenti, donamus emphasi et affectu plenas illas obtestationes, quas ad Ecclesiam romanam cum entusiastico fervore mittebat ipse Bossuetus non minus quam Fenelonius (2). Non omnes profecto superius adducti protestantes explicite papalem inerrantiam confitentur, eam tamen *saltem* implicite admittunt, dum aiunt necessariam esse auctoritatem supremam ad schismata tollenda et opinionum divisiones in Ecclesia. Quomodo enim id valeret consequi auctoritas, erroribus obnoxia, ut caeteri episcopi vel singillatim sumpti vel etiam collectim sed sine capite? Si Papa non sit infallibilis, poterit semper ab eius iudicio appellari ad concilium, quod ni fiat aut etiam fieri non possit vel non expediat, ut si solum coercendus sit homo suae rationi nimium fidens, tunc praevaleat iste necesse est vi obcaecati sui intellectus aut voluntatis in malo obfirmatae. Accepta hac inordinatae resistentiae doctrina, possibile ne adhuc extat Ecclesiae regimen? Romani Pontifices damnando appellantes ad concilium, et Ecclesia tota huic damnationi subscribendo, abunde demonstrarunt quid sentiant de Romani Pontificis infallibilitate. Sed quid si adderem postremo loco, vel ipsam Rationalistarum auctoritatem, qui indirecte nobis favent in explicandis verbis Christi Domini ad

(1) La Mennais, *Tradition de l' Eglise sur l' inst. des Evêques*, Liege 1814, in tom. 1, p. 5.

(2) Bossuet, *Disc. sur l' unité de l'Eglise;* Fènelon, *Mandement du 9 Iuin 1814 sur la const. Unigenitus.*

Petrum? Satis sit videre, quo modo in alia apologia illos textus explicaverimus nominibus freti Kuinoel, B. Bauer, Strauss, Salvador, quibus adiungere alios possemus (1).

CAPUT IX.

INFALLIBILITAS R. PONTIFICIS CONNEXA EST CUM INTIMA ECCLESIAE CONSTITUTIONE.

Plures infallibilitati Pontificiae adversi haec duo identidem obliviscuntur: I Ecclesiae divinam esse originem, proindeque ut opus divinum modo ab humanis remoto et speciali providentia gubernari ab eiusdem divino auctore; II eius mirabilis constitutionis normam hauriendam non esse a forma gubernioru civilium, maximeque recentium. Haec duo enucleasse haud erit inopportunum. Ac primum quum Deus ipse constituerit corpus Ecclesiae, palam est illum eiusdem tueri vitam et regere actiones secundum eius naturam. Si igitur Ecclesiae regimen pendeat ab uno Capite supremo, quod omnibus praesit gregis Domini agnis et ovibus, non est metuendum, ne Rectori supremo desiturum sit auxilium eius, qui hominem constituit sui Vicarium. Prodigiose implantata Ecclesia a rudibus piscatoribus, prodigiose servatur et regitur ab eo cui dictum est: *Pasce....*

(1) Vide nostram *Cristologia evangelica* in quatuor volumina, V. 2 conferenza XLIV.

Confirma, ecc. Non igitur de ea iudicandum ac de humanis institutis in se defectivis, adeo ut saepe ars humana, iis emendandis intenta, in opere deficiat. *Ecclesia,* ait Febronii validus castigator, ***status est, principatus est, respublica est, non ad profanum ea fastum quidem formata, neque ad Caesares, ac principes subigendos; sed regno diaboli atque peccati opposita et ad verum Dei cultum felicitatemque hominum comparata*** (1).

Ecclesia est monarchia sub uno Capite supremo constituta, quod non solum ordini, paci et unitati totius corporis consulit, verum etiam suspicionem non ingerit, ne ille sit lapsurus in errorem vel potestate abusurus. Profecto si imperium pendeat a voluntate unius nulli pacto alligata, timor animos pervadit regiminis arbitrarii et funesti. Non sic in Ecclesia, nam unus ille positus est a divino Fundatore in sui locum cum promissa constantis assistentiae. Debet catholicus ambulare cum fide, quod ita fundata sit Ecclesia, secus eam omnino cum mundano confunderet imperio. Hoc etsi stricte monarchicum et absolutum, feliciter pergit in via sua, si rex et populus ambulent in timore Domini; ille enim se gerit humaniter ut pater cum filiis, hic vero reverenter intuetur in illum, ut proles in dilectum patrem. Quod in imperio deberet contingere ut in christiana familia, illud ipsum semper impletur in Ecclesia, praesertim quoad eius gubernatorem supremum. In imperiis ut obviam eatur praevaricationibus supremae potestatis, iure an iniuria non quaero nec idem esset iudicium pro

(1) Carrich, *De Ecclesia*, ecc. tom. 1, c. 3, art. 1.

singulis casibus, ipsa summa potestas dispertitur vel cum magnatibus, vel cum populo vel cum utrisque ita ut mixta evadat forma imperii; monarchica et aristocratica simul vel etiam democratica. Quae imperii organica compositio nullam praebet securitatem, si in capite et in membris societatis non insit timor Dei et amor iustitiae. Saepe inde videmus, ex his duabus vicibus unam alteramve oriri. Nempe vel ab alto astutia et vis irritas reddunt cautelas fundamentales imperii; vel ab imo prodiens intercipit gubernii incessus paritque monstrosum illud hodiernae libertatis inventum, quae gaudet spectaculo Regis in solio sedentis sine regni habenis. Quod probat, sine religione in corde et in opere difficile admodum esse aut potestate non abuti, si libere exerceatur, vel etiam iustum servare aequilibrium inter diversas distributae supremae potestatis fractiones.

Ecclesia ut regatur et prospero cursu dirigatur ad supernaturalem finem suum, non opus habet studere perfecto aequilibrio staterae, sicque inter se componere varias regiminis vires, ut una alteram non obruat, non ea quae legum intendit executioni, partes invadat legiferae vel iudicialis aut viceversa, neque inter ipsas legiferas appareat collisio et dissidium. In Ecclesia enim summus Pontifex, quod caput et centrum est, fruitur plenitudine potestatis, quam ei incircumscriptam tradidit Christus aiens: *Tibi dabo claves..... Super hanc petram.... Pasce agnos, pasce oves*. In Ecclesia una, ut ita dicam, potestas suprema, secus enim exsurgeret collisio virium, in Ecclesia unus episcopatus ab uno immediate per totam Ecclesiam, a pluribus per varia loca exercitum

mediate seu dependentes ab illo. Id ipsum evidenter expressit concilium Florentinum, quod fatetur, ipsi (R. P.) in B. Petro *pascendi, regendi et gubernandi* universalem Ecclesiam a D. N. I. C. *plenam* potestatem traditam esse. An quid enucleatius dici potest? Haud me latet, Febronium saeculo elapso et etiam nunc aliquos cavillari super verba *quemadmodum etiam* quibus substituunt alia: *iuxta eum modum*, quae dicunt magis consona graeco: καθ' ὃν τρόπον καί. Verum haec sublesta nimis, iamque ope grammaticae et criticae artis dispulsa a pluribus scriptoribus, quorum instar sit P. Hieremias Cavalli a Bennettis in subalpinis, qui quinque melioris notae manuscripta protulit, complens iam a saeculo, quod emunctae naris critici hodie Florentiae et Romae praestiterunt (1).

Sed et immediata et ordinaria pontificalis haec potestas est in omni Ecclesia. Id asserit et probat pluribus in locis Angelicus doctor, cuius doctrinae fideliter inhaeret Vaticanum Concilium (2). Directe enim et immediate Christus Petro eiusque successoribus ait: *Dabo tibi... Pasce... Confirma.* Sed an plurium in idem subiectum potest esse immediata et ordinaria potestas? Utique, dummodo non sit in eodem gradu. Difficultati praeiverat et fecit satis acutissimus scholae Magister: *Inconveniens esset*, ut ait, *quod duo aequaliter super eamdem plebem constituantur. Sed quod duo, quorum unus est principalior alio*

(1) Canonicus Cecconi florentinus et scriptores *Civilitatis Catholicae.* V. A. Bennettis, *Privilegia Rom. Pontif. vindicata*, p. 1, tom 1, art. V, § 1.

(2) Collige varia testimonia in *Appar. ad Summam Concil.* Lud. Bail.

super eamdem plebem constituantur non est inconveniens et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt sacerdos parochialis et episcopus et Papa, et quilibet horum potest committere ea quae sunt iurisdictionis ad ipsum pertinentia alteri. Prosequitur autem: *Papa habet immediatam iurisdictionem in omnes christianos, quia Romana Ecclesia nullis synodicis constitutionibus caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et salvatoris sui primatum obtinuit, ut habetur in decr. Distinct.* 21, *Can. Quamvis* (1). Ne dixeris itaque, Christum aeque caeteris apostolis iurisdictionem contulisse absque restrictione super omnem ecclesiam et indistincte. Haec enim iurisdictio, potius quam universalis, dici debet circumscripta et indeterminata quoad territorium assignandum a Petro ratione primatus. Vel, si quamdam universalitatem conspicias in apostolorum iurisdictione, hanc habeas velut extraordinariam, cadivam ac tantum duraturam usque ad divisionem dioeceseon. Episcopi, sub quocumque respectu, nihil detrahunt plenae et integrae Pontificis summi potestati, sicuti Apostoli, licet extraordinaria potestate donati, non minuebant immediatam et universalem Petri iurisdictionem. Immediate ipsi a Deo recipiunt ordinis characterem, seu potestatem in corpus reale Christi, tum in caetera sacerdotalia et pontificalia, et cum hoc aptitudinem quandam ad exercendam suam iurisdictionem in provincia, quam eis episcopus episcoporum erit designaturus. Quae designatio est actus voluntarius in summo Pontifice ac

(1) In 4, Dist. 27, quaest. 17.

etiam pro nutu revocabilis. Ipse episcopos vel removet, vel de una in aliam transfert sedem ex rationabili causa quam tamen nemini neque aperire debet neque defendere. Potestas itaque episcoporum iurisdictionalis pendet a nutu Romani Pontificis. Quid igitur impedit, quominus ipse ordinariam iurisdictionem possit exercere in quacumque dioecesi? Sane ante dioeceseon partitiones Petrus ordinaria potestate pollebat in universa ecclesia; caeteri vero apostoli aut non universali in aptitudine aut non suprema et independenti fruebantur. Quid vero postea contigit, quod illius successores orbaverit ordinaria illa potestate et universali? Numquid factum orbis christiani in dioeceses distincti? Distinctio tamen haec non est iuris divini sed humani, licet ab apostolis ortum habuerit. Siccine igitur factum iuris humani poterat intervertere oeconomiam ordinariae iurisdictionis pontificiae in orbe christiano? Nemo sui compos dixerit unquam (1). Tribuere autem caeteris apostolis ante factum istud iurisdictionem aeque universalem ac supremam, hoc profecto esset de medio tollere primatum Petri et confusionem supponere in ipsis Ecclesiae incunabulis.

Episcopi itaque per christianum orbem diffusi non officiunt plenae et ordinariae iurisdictioni S. Pontificis. Quid autem? Hancne coarctabunt potestatem in Concilio collecti? Ne hoc quidem. Concilium enim numquam est factum absolutae necessitatis; est factum liberum, non ius constituit. Solius est Pontificis illud convocare; atque

(1) V. Berardi *Comment. in ius eccles. univ.* tom. 1, Diss. 2ª, c. 1.

illud convocans non intendit, vel minimum quidem, iuribus suis praeiudicare, sicuti episcopi illius respondentes accitui, nolunt Papae iura minuere suaque adaugere. Post tria circiter saecula, quibus decurrentibus, Pontifex omnia peragebat per se ipsum et absque conciliis, Nicaenum nullatenus pontificia iura attenuare adgressum est. Ecclesiae gubernatio per R. Pontificem, en regula; Concilium vero factum exceptionis (1). Libere itaque concilium convocatur a Papa, et ab ipso solo, vel si ab alia potestate, ipso annuente vel ratum habente factum ipsum convocationis. Lucinthius, Vicarius sedis apostolicae in Concilio Chalcedonensi, sic in Dioscorum invehitur: *Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Concilio coacto libere praesidet per se vel legatos; eoque absoluto, libere confirmat. Sine qua confirmatione nullius est ponderis quod gestum est. (2). Verbo, totum concilii opus pendet a voluntate Romani Pontificis. Quis ergo dixerit, Concilium illius imminuere potestatem? Adderem, et iure quidem: si initium et exitus Concilii pendeat a nutu S. Pontificis; si hoc non approbante, illius decreta nullius sint roboris, quo per Deum immortalem! confugiet infallibilitas Ecclesiae? Non erit infallibilis ille, per quem stat, ut sit infallibile ipsum Concilium, infallibilis ipsa Ecclesia? Non erit infallibilis ille, a cuius iudicio infallibilitas pendet Concilii? Neque dicant, hoc

(1) V. Guèranger, *Monarchie Pont.* p 283-284.

(2) Fènelon. *De summi Pontif. auctor.* cap. 34. Hanc eamdem materiam fuse disserui in refutatione cuiusdam opusculi, quod politiam Florentinam redolet. (V. *Armonia* an. 1869.)

ius pontificiae adprobationis consistere dumtaxat in revisendo exterius quid gestum sit, an scilicet liberis suffragiis debitaque forma sint emissa decreta. Enim vero potestas pontificia non sistit unice in exteriori forma, sed pervadit materiam ipsam. Eius est confirmare fratres in fide: fides est substantia, non cortex, sperandarum rerum. Hinc suppetunt exempla decretorum conciliarium a Pontificibus reiectorum ob causas vere intrinsecas, non autem mere extrinsecas et formae.

Potestas conciliorum universalium, ut ut suprema et infallibilis, haud tamen sufficiens foret Ecclesiae necessitatibus. Esset enim interrupta. Ecclesiae autem opus est potestate non intermissa, sed continua ac nullo non tempore ad actum transitura. Qui actus ne periodicus quidem posset evadere: quis enim posset eidem assignare diem? Coetus conciliorum generalium modo rarior ac difficilior, quam prioribus saeculis post imperiales persecutiones. Tunc enim sub uno imperatore, eoque catholico Episcopi degentes, nullo negotio simul poterant convenire. Modo vero sub pluribus, quorum alii acatholici, quodque peius, alii cuivis religioni adversi, inter se autem parum iuncti concordia fraternitatis. Asserit s. Thomas, quandoque concilium non posse congregari propter *bellorum dissidia* (1). Post tria et amplius a Tridentino saecula coactum est Vaticanum I in centro Italiae, perstrepentibus undequaque clamoribus haeresis, impietatis, infernique stridoribus. Pene miraculi loco est habendum. Vix autem ipsum

(1) *De pot. Dei*, q. 10, a. 4.

Patris, supremi magistri fidei et morum conclamat infallibilitatem; et ecce bellum horridum, cruentissimum terrifico ore hiat et cristianorum capita metit. Quis Concilio praevidere potest finem, sicut habuit initium, per medium tot adversitatum? Quis, cum iam tormenta bellica ipsam terreant pacificam urbem Pontificum et Conciliorum?

Sicut autem auctoritas Concilii nihil demit auctoritati R. Pontificis, qui tot haereses damnavit absque synodis, et in rebus arduis Ecclesiam regit; atque in hoc cum ratione consentientes habemus doctores (1); ita neque Papae auctoritas eam attenuat, quae Conciliis inest et episcopis ibi collectis. Vetus est querimonia, inutilia fore concilia ubi infallibilitas pontificia admittatur. Ego reponerem, illa immo ab hac potiorem derivare auctoritatem suam et firmius propriae infallibilitatis argumentum. Si enim labescat Concilii auctoritas sine Pontificis probatione, quomodo in tanto actu non se exeret pontificalis infallibilitas? Quae si desit, nonne tanti coetus sapientia, a Spiritu Sancto directa, iussu Dei ipsius ab auctoritate pendebit erroribus obnoxia? Siccine a nutu mortalis errantis veritas indesinenter exibit? Papalis inerrantia non reddit frustranea concilia, quae immo sunt media solemniora, quibus pontifex quandoque utitur ad explicandam Ecclesiae suae infallibilitatem. Profecto ipse non definit dogmata vel principia vitae moralis stans velut pede in uno; verum ad tantum o-

(1) Reifenstuel, in 1m Decret., tit. 2.; Caietani opusc. *De auctorit. Papae*. Engel, *Colleg. iuris. can*, lib. 1, tit. 83.

pus se parat studio et laborioso examine. Non enim recipit divinam inspirationem, ut prophetae, sed tantummodo ei assistit Spiritus Sanctus, qui praeservat quidem ab errore, sed laborem hominis non excludit, immo praesupponit (1). Tentaret Deum suum Pontifex, qui mediis humanis posthabitis ad assequendum verum religiosum, absque humana ope definitiones fidei promeret. Variis autem ad hoc mediis uti posset; congregationibus nempe purpuratorum, episcoporum, theologorum, quibus nullo non tempore affluit alma urbs, consiliis episcoporum vel sapientum etiam commorantium extra civitatem factam caput mundi. Verum an ne etiam occasio se se offeret quandoque istud adiumentum quaerendi ab oecumenico Concilio? Pone casum, quo valde expediat noscere singularum ecclesiarum traditiones circa obiectum aliquod, quod sit in dogma fidei erigendum; pone casum, quo satis referat scire disciplinas, consuetudines, indoles, necessitates, appetentias, infirmitates, conditiones georgicas et commerciales singularum provinciarum antequam disciplina immutetur, vel illius novum constituatur caput; pone casum, quo definitiones maximo cum solemnitatis apparatu et maiestate emitti intersit ad facilius lucrandos haereticos vel melius satisfaciendum catholicis modicae fidei, comprimendos factiosos, arguendos contradictores, ecquis non videt, Romanum Pontificem, licet propriae inerrantiae ab omnibus admissae optime conscium, recte facturum, ubi tulerint adiuncta

(3) Perrone, *De Ecclesia*, propos. v. *Sola Ecclesia Catholica est vera Christi Ecclesia.*

rerum pubblicarum, si Concilium generale cogat ad opus fidei et disciplinae adgrediendum? Sed de hoc argumento, quo tantopere abutuntur Gallicani et Febroniani saeculi XIX, satis superque pro nostro instituto. Adeat qui velit theologos, qui trans citrave Alpes hisce difficultatibus obviam iverunt (1).

Dum autem conciliorum utilitatem in conspectu Papae infallibilis, et pro speciali temporum ratione de quibus ipse sedet iudex et tamen aliorum patiens auditor, candide propugno, iuverit meminisse, me simpliciter et absolute illa ipsa non arbitrari necessaria. Si enim hoc ita esset, Ecclesia per tria priora saecula, ut ait Bellarminus (2), officio suo defuisset. Pone tamen quod potuisset facere et non fecisset. Quare dicendum hic cum Germano SS. Canonum interprete, *quod medium ordinarium, quo Pontifex circa fidem et mores utitur in rebus arduis sit convocare concilium, atque eius sententiam audire, non tamen teneatur semper iudicio eius stare, sed si ipse cum concilio cardinalium, quod est iudicium sedis apostolicae et tribunal Ecclesiae, dissentiat a sententia concilii, poterit res controversas determinare. S. Thom. 2. 2. art. 10; atque tunc sententia Papae et Cardinalium praeferenda est definitioni Concilii generalis; nam sententia Papae est iudicium sedis Apostolicae, quae in fide et moribus errare non potest.* Can. *Quoties*

(1) V. ex ultramontanis Fenelonium et Petit-Didier, ex nostris vero Bellarminum, et praecipue Ursium, qui Bossueto obiicit multos pontifices contrariam praxim secutos. *De irreform. Romani Pontif.* ecc. Romae 1772, tom. 3, l. 2, c. 20.

(2) De Conc. l. 1, c. 10.

12, *et* Can. *Haec est fides* 14, Caus. 24, q. 1. (1). Posito igitur quod (hypothesim fingimus, non thesim ponimus) Papa in Concilio ab episcopis deseratur, et sententia eius sit contra omnes, haec procul dubio praevaleat necesse est. De convenientia autem consultationis consistorialis in Pontifice explicatius infra.

Si vero tanta sit Pontificis potestas etiam in conspectu Concilii, quid agunt Episcopi quum totum sine his possit ille? Quid erunt nisi testes de eo, quod placet capiti? Erit ne eorum officium testimonii an iudicii? Equidem scio, Cardinalem Iacobatium, postquam rectissime dixit, in Concilio summum Pontificem nec amittere nec minuere suam potestatem, non eum cedere aliis, subdere *Episcopi existentes in Conciliis non sunt participes auctoritatis, sed, ut dictum est, tamquam consultores; quia omnis auctoritas Concilii pendet ab auctoritate Papae et a Papa eius gesta confirmantur* (2). Haec tamen cum grano salis accipias. Sciendum est enim, in Concilio episcopos sedere iudices fidei, eorumque iudicium pontificia sphragidi confirmari, si modo eorum fides cum fide successorum Petri consentiat (3).

Ipse vero in hac synagoga Deorum (Psalm. LXXXI), vel iudicum congregatione, sedet, non par cum paribus,

(1) V. Schmalzgrueber, *Ius eccles.* tom. 1. part. 1ª. *Dissert. proem.* § 8. n. 314. edit. Rom. typ. Rev. Cam. Apost. 1833. Hoc idem iam testatus erat Carranza, 4ª *controv. de auct. Pontif. et Concil.*

(2) Iacobatii *De Concil.* T. IV ad fin. Collect. Labbaeanae, vel in 1° volumine hod. Collect. parisiensis.

(3) V. Devoti, *Iuris can. univ. prolegom.* c. 9, et Benedict. XIV *De synodo,* l. 13, c. 2.

sed veluti dominus et rex. Attamen coram tanto praeside episcopi vere iudicum officio funguntur, licet non in supremo gradu. Numquid tantum iudices sunt, qui iudicium ferunt in summo iurisdictionis stadio? Adsunt iudices primae, ut aiunt, instantiae, et adsunt iudices appellationum. Iudicant in Conciliis pro eorum conscientia episcopi; iudicat deinde S. Pontifex, promendo iudicium approbationis. Quod iudicium, ut in pluribus, iudicio respondet maioris partis episcoporum, non tamen eidem est necessario alligatum, et quandoque Pontifex, ut videbimus, ab eo iure meritoque abscedit.

En, quam proferimus, idea constitutionis Ecclesiae, infallibili auctoritati R. Pontificis providenti et necessario nexu colligatae. Ex quo harmonicum emergit systema, unde sua cuique iura emergunt. Auctor opusculi (impressi ad instar manuscripti) quod, iure an iniuria non constat, tribuitur doctissimo Episcopo Moguntino, probare nititur, regimen Ecclesiae esse monarchicum temperatum, et admissa solum infallibilitate Papae coniunctim cum Episcopis, recte posse explicari verba S. Scripturae, textus sanctorum Patrum et universae traditionis. Sed ab hac sententia longe nos abire necesse est. Nam absque immunitate personali successorum Petri ab erroribus circa fidem et mores non recte explanari textus, qui ad praerogativas B. Apostoli referuntur, nec non et alios non paucos sanctorum Patrum qui singularem eius attingunt personam, exploratum est. Neque obiiciat memoratus auctor, Papam non posse considerari disiunctim ab Episcopis. Sane neque etiam Pater disiungitur, ob idearum analogiam, a filiis, neque

rex a subditis: non sequitur tamen, quod subiecti participent praerogativis praepositorum. Iuxta opusculi systema auctoritas decreti pontificii de fide et moribus in suspenso maneret, sicut et eius infallibilitas. Pone, tantum Episcoporum partem, eamque minorem, eidem adhaerere; et tunc licebit ei denegare adhaesionem. Non ita sane sentiebat clar. Fenelonius, qui in propria causa aiebat: *Summus Pontifex locutus est, et Episcopis omnis interdicta est discussio; ipsis pure et simpliciter acceptandum est decretum. Nullum proferre possunt iudicium, nisi adhaerens pontificio* (1). Excogitari utique non potest romanus Pontifex sine aliis, qui eum circumdant. At peto, num ille hos sequi debeat, an versa vice isti ad illum confluere. Centrum ne discurret circa peripheriam, an vero, illo fixo permanente, haec perpetuo circa idem volvetur? Super axem machina, super cardinem ianua in gyrum agitur. Non est hic locus adagio, quod *plures ad se trahunt pauciores*, tam lepide exornato a festivo poeta (2). Nam Pontifex Episcopos, non hi vice versa illum ad se trahunt. Ceterum Pontifex numquam est solus; qui autem cum eo sunt, componunt Ecclesiam, quae semper stat ubi est Petrus. Episcopi, etiam pauci, Papae adhaerentes constituunt Ecclesiam, quae etiam evadere potest grex pusillus. Haec autem non comparetur politicis mundi inventis. Constituta enim est super angulari lapide, nempe Christo, cuius vices gerit S. Pontifex, firmissima divini aedificii petra.

(1) Fenelon, in suo *Provinc. Conv. Episcop.* 1699. *Memorie del clero*, t. 1, p. 461.
(2) Giusti, *Poesie*.

CAPUT X.

QUALIS HAEC INFALLIBILITAS, CIRCA QUAE ET QUOMODO SE PRODAT.

Infallibilitas, qua de agitur, personalis est in R. Pontifice: quod ita intelligendum est, ut Petro et successoribus competat, independenter a quacumque alia persona. Verba enim Christi sunt ad unum Petrum conversa: *Dico tibi; tibi dabo claves; rogavi pro te; tu confirma, ecc.* Si infallibilitas pontificalis penderet ab aliorum consortio, Christus non soli Petro locutus esset, et Petrus, ne dum confirmare debeat indiscriminatim et absque exceptione fratres, confirmandus esset ab aliquibus eorum; quod absurdum. Confirmator fratrum, egeret ne ipse pro sua vice aliorum confirmatione? Nec totum quod necesse sit, obtinebit precatio Christi? Gallicani asserentes verba Salvatoris non esse ad solum Petrum directa, peccant in communem sensum et intellectum verborum, qui vel ipsis Rationalistis obvius extitit. Sic Gustavus d'Eichthal illud Luc. XXII *Rogavi pro te* vertit: *J'ai prié pour vous en particulier* (1). Et Bruno Bauerus, Calvino affirmante, Petrum in professione suae fidei nomine caeterorum dixisse, quomodo ait, nomine undecim vel duodecim datum est responsum divinitus inspiratum (2)? Confirmant Patres, ut vidimus, hunc sensum; et quoties

(1) *Les Evangiles*, tome 2, page 145.

(2) V. textum relatum in mea *Cristologia Evang.* vol. 2, conf. 44.

in Petro praerogativam agnoscunt, toties eidem personaliter inhaerentem ponunt. Addam hic iam prius allatis S. Asterum archiepiscopum Amasenum, qui initio saeculi V occubuit, et ait, *in episcopo romano positam esse praecipuam christianorum auctoritatem* (1). Haec autem auctoritas propria sit oportet, non ab aliis mutuata, ut patet. Et quoties Ecclesiae Patres momentosissimam potestatem s. Pontifici tribuunt, de individua loquuntur non de collectiva.

Reapse huic pontificali, individuae et indivisae, vim ius et officium tribuunt, quod est maximum in rebus fidei, damnandi scilicet haereses, ut integrum et immaculatum servetur depositum sanctum. Audi Augustinum: *Aut vero*, inquit, *congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla haeresis aliquando, nisi synodi congregatione damnata sit, aut potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multaeque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per caeteras terras devitandae innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quae tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cum potius vigilantia et dili-*

(1) Refertur in libro anglico sub titulo: *Mores catholici, or ages of faith*, l. 2, ch. 3.

gentia pastorali post factum de illis competens, sufficiensque iudicium, ubicumque isti lupi apparuerunt, conterendi sunt (1).

Iudicium autem hoc est inappellabile, quia prima Sedes a nemine iudicatur. Quod quidem dum affirmo, absit, ut testimonium petatur a commentitio Marcellini lapsu et resipiscentia ostensa in quadam conficta synodo Sinuessana. Pace Reiffenstuelii, Cabassutii aliorumque dixerim, lapsus et emendatio synodica sunt Donatistarum figmentum ut suspicor vehementer (2). Nulla iurisdictio specialis concredita Ecclesiae est contra caput suum. Corpus informe, mutilum, acephalum vires ne exeret suas contra venerandum caput, in quo est sedes vitae? Recte igitur hac fide in propriam praerogativam se imbutos nullo non tempore ostenderunt Pontifices. Antiqua exempla iam fortasse memoravi: nunc alia recentiora ob oculos ponam. Et primo iuverit in memoriam revocasse Concilium Lateranense V. Dum ageretur Sessio IX, post lectionem duarum bullarum aliquot Patres responderunt *placuit* cum variis conditionibus. Leo X reposuit, quod mutarentur aliqua verba, sed non sententia, et quod contenta in eis suae Sanctitati alias placent. Eadem fere contigerunt in sess. XI, in qua de concordato cum rege Galliae actum

(1) S. August. *contra duas epistol. Pelagii* l. 4, c. 12, n. 31, op. tom. X, Sed V. et Fenelonium op. iam memor., cap. 38.

(2) Reiffenst. in I. Decret. tit 2, Cabassut, *Notitia Concil.*, saec. III. Sed contra: Sandinus in *vita Marcellini;* Rohrbacher *stor. eccl.* tomo 3, 1.ª ediz. ital. di Torino. V. et. Zaccaria, *Dissert. stor. eccl.* tom. 2, Dissert. 4.

est et de privilegiis regularium (1). Non dissimiliter Clemens XI, qui episcopis in comitiis Gallicani cleri coactis 15 Ian. 1706 scribens, inter caetera multa, aiebat: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod nimirum sedes B. Petri Apostoli de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuique liceat de eius iudicare iudicio.* Appellat etiam ad iuramentum singulorum episcoporum in sua consecratione. In nota tandem: *A te emendari Ecclesiam romanam nihil opus erat; nam illa potestatem a Christo accepit regendi alias et gubernandi et corrigendi, non ut ipsa confirmetur ab aliis. Et tu,* inquit Salvator ad Petrum, *aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Non dixit: *Confirmare a fratribus tuis, sed confirma.* Ioseph, episcopus Methon. ad Marcum Eugen. ephes. Metropol. (2). Habes tamen advocatum in propria dicentem causa. Heu malum ingens! Non perorat Papa ius suum, sed testimonium dicit de se, et a semetipso potest testificari, immo sententiam dicere propterea quod Christus misit illum. Legatus Dei, ostendit universo mundo literas fiduciarias. Audite illum. Credendum porro esse Romanis Pontificibus sedis suae dignitatem tuentibus, sicuti creditur episcopis aut presbyteris sacerdotii sui honorem praedicantibus, apertissime docet ipse Bossuetus (3).

Praerogativa igitur, qua de agitur, afficit personam Petri, eamque solam, non quod ei iuncta sit Ecclesia

(1) V. Tizzani, *Les Conciles géner.*, vol. 4, pag. 88-89.

(2) Prostat hoc documentum ad calcem laud. op. Guerangerii, *La monarchie*, ecc.

(3) *Defens. Declar. cleri gallic.*, l. X, c. 6.

universa vel romana. Hoc semper Doctores animadverterunt. *Non dico ego*, ait Augustinianus quidam, confutator Lutheri et eius contemporaneus, *Ecclesiam romanam habere claves, nisi quia Petrus, seu eius successor, qui in ipsa praeest, habet illas: sed tibi Petro mei successori dabo claves*, etc. (1). Et alter scriptor eiusdem aevi: *Cum Dominus*, ait, *dat claves Petro, dat cathedram docendi, dat et imperium gubernandi in Ecclesia. Igitur omnes difficultates definire ad eum spectat, habet enim cathedram, licet ignorantissimus fingatur* (2). Audiant, qui asserunt, stare scientiam contra infallibilitatis patronos. Christus etiam homini rerum humanarum inscio tradit claves suas; et qui eas accipit a Christo discit eas attrectare et volvere, dictante Sancto Spiritu. Hasque claves ligandi et solvendi caeteris communicat, qui in Petri cathedra sedit, ut cecinit christianus poeta (3).

Verum scientia humana non vult agnoscere hanc infallibilitatem in suprema ecclesiastica dignitate.: lubentius eamdem profiteretur in semetipsa, et hoc quoque superbiam rationalismi sapit. Audivi nonnullos auctoritatem nuperae definitioni detrectantes, quod eidem

(1) Andreae Baurie, *Apostolicae Potest. def. in Lutherum*, Mediolani 1523.

(2) De Palacio Lusitan. in Matth. c. 16.

(3) Dante, *Purgatorio* c. IX. Theologiae et SS. Canonum doctores fere omnes, quos noverim, stant pro infallibilitate. Quot numerare possem inter viventes in Italia, in Germania, in ipsa Gallia. In hac Bouix inter alios fuse duobus in tomis hanc vindicat thesim. Non contemnimus adversarios, sed dicimus male aliquos praesumere scientiam alligatam esse tantum vexillis suis. Sit autem cum illis scientia quae inflat!

scientia non praefuerit. Fortasse vel ipsi Spiritui sancto scientiae donum abnegant, quam unice in se ipsis coadunatam putant. Pluries auditum mihi est, scientiam, nempe Patres scientia praeditos stare contra infallibilitatem personalem, et pro ea tantum bonos viros. Hic cubat error cum praesumptione. Si quaestio esset de valore comparativo disputantium, quot recenserem episcopos doctissimos, italos, gallos, germanos, hispanos, anglos, etc. qui pro infallibilitate steterunt! Quot etiam theologos et iuris canonici interpretes numerarem ex omni gente stantes pro iudicio infallibili Papae! Novi equidem, auctorem articuli de Ecclesia christiana in Lexico encyclopedico catholicae theologiae germanico asserere, Papam eatenus infallibilem esse in iudiciis, quatenus haec assensum episcopatus obtinuerint (1). Sed quid si articuli illius auctori De Drey nomen celebrius opponerem ex eodem Lexico depromptum? Doctor revera Phillips ait, solam ideam doctoris supremi ideam involvere infallibilitatis, et quidem personalis, de qua loquitur (2). Ambo hi scriptores, licet in contraria descendant, in eodem tamen lexico locum accipiunt, quomodo in aulis politicarum concionum diversa opinantes admittuntur.

Verum quomodo, inquies, tutum veritatis catholicae criterium erit in persona individua summi pontificis, qui tamen in haeresim prolabi posset? Non accedo ad illorum doctorum sententiam, qui censent Papam

(1) V. edition. gallic. Goschler, tom. 7.
(2) Art. *Pape* in eod. Lexico.

haereticum posse evadere: aliter enim mihi sonant notissima verba Christi Lucae XXII. Sed demus, eum ut privatum doctorem errare posse atque in errore obfirmatius cubare? Errorem autem concipiendo, amplectendo, retinendo, declarando, num actum complet magisterii coram Ecclesia universa? Non video itaque, quomodo possibilitas haeresis in summo Pontifice componi non possit cum eiusdem inerrantia in rebus fidei et morum. Dum autem cerno, supponere adversarios, Papam nonnunquam errare posse ut personam publicam, illis omnino vale dico. Ponendum sane, si qua erroris vestigia in eo cernantur, eumdem lapsum fuisse ut personam privatam, nisi evidentia indicia extiterint, eum voluisse toti Ecclesiae definiendo loqui, quod nec de Honorio, nec de Iohanne XXII, nec de alio quocunque Gallicani effecturi sunt. Lucas Brugensis, Lovaniensis doctor, linguarum orientalium peritia celebris, ita interpretatur laudata Christi verba, ut *promissio non defecturae fidei respiciat potius conditionem capitis Ecclesiae doctorisque fidei in Petro quam privatae personae eius. Nam et sic aliqui successorum eius ut privatae personae potuerunt animo vacillare circa fidem; sed ut Ecclesiae tamquam capita eiusque primi doctores, proponerent aliquod credendum, quod christianae fidei foret contrarium, minime accidit, hac Christi oratione prohibente.* Et C. Iansenius episcopus Yprensis interpretatus illud: *Rogavi pro te*, inquit, *peculiariter tamquam pro capite caeterorum, per quem reliquos ad salutem adducere decrevi.* Et paulo post subdit: *Et hoc quidem personale fuit Petri privilegium*, confirmans sententiam suam auctoritate sancto-

rum Augustini, Leonis et Bernardi (1). Quid? Gallicani erga R. Pontificem erunt ne morosiores, quam Iansenistarum parens?

Haec autem stricta personalitas privilegii patet ex singulis trium textuum evangelicorum, singillatim vero ex Iohannis XXI. Ibi enim perspicuum est, contulisse Christum Petro privilegium personae adhaerens. Ille enim hunc ter prius interrogaverat an caeteros vinceret in amore Magistri. Simon prae modestia non est ausus se illis praeponere diligentibus, sed absolute respondit se diligere, fretus propria conscientia et Christi ipsius omniscientia tamquam cordium inspectoris. Proportionatum itaque et mere personale Christus ei contulit privilegium, ac si diceret: *Tu diligis me plus his?* (en distincta personalitas). *Et ego dico tibi: pasce*, etc. En potestas a caeterorum potestate seiuncta, quae tamen cum potestate apostolorum, de qua alibi, apprime conciliatur. Hae duae potestates distinctae non cadunt super eodem obiecto, vel saltem non eodem modo. Petri suprema est et universalis, apostolorum vero subordinata et particularis. Immo nec sine Petro allata eis potestas est, dum e contrario Petro sine illis. Apostolis allata generatim est potestas aptitudine, exercenda postea subordinate ad Petrum, in loco nempe quem ipse singulis destinaverit. Sine hac destinatione nullibi episcopus exercere potest neque ordinem, licite saltem, neque actum validae iurisdictionis. Ille ergo non universalem in Ecclesia, sed tantum particularem obtinet potestatem, hancque non sine beneplacito Romani Pontificis.

(1) Lucas Brug. et Cornel. Yprensis ad Luc. XXII.

Quod si contingat, ut in Ecclesia universa episcopus potestatem exerceat, sicut in concilio oecumenico, in quo iudicis partes obit, id nonnisi praesente, vocante et consentiente S. P., exequitur. Caeterum in laudato Iohannaeo loco Petrus eminet ut unicus universalis pastor, reliqui apostoli sunt oves gregis commixti agnis atque cum his a duce falli et fallere nescio ubertim pastae. Hanc autem interpretationem, iam Patrum dictis a me roboratam, modo confirmo duorum interpretum testimonio minime suspectorum gallicano viro (1). Quid refert, amplissime praesul s. Ludovici in America septentrionali, hic in disputationem vocare *probatia* seu oviculas? Unus hic designatur omnium rector absque exceptione.

Qui personalem Papae infallibilitatem inficiantur, eo devenerunt fere omnes, ut iis tantum dogmaticis decretis tamquam infallibilibus fidem habendam existiment, quae vel antecedenter vel posteà suffragia nanciscantur episcoporum per catholicum orbem dispersorum, vel in synodo coadunatorum. Hanc Kenrickii episcopi Baltimorensis doctrinam, licet puram putamque gallicanam, refert sibique appropriat Antistes Aurelianensis, qui aliis productis episcopi Americani testimoniis, thesim suam confirmare nititur. Nempe decisionibus Papae dogmaticis necessarium putat assensum episcoporum, quemadmodum concilio necessaria foret Pontificis approbatio (2). Aliter nescit explicare textus evangelicos,

(1) N. Alexander, et de Sacy in Ioh. XXI.

(2) Kenrick, *Theol. dogm. tract. De eccl.*, 2 edit., tom. 1, n. 242, p. 153-54; Dupanloup, *Lettre à M. Spalding*, in diario *Le Français*, 2 Maii 1870. Kenrick, archiepisc. S. Ludov. *Epist. ad Episc. Baltimor.*

quos ego inexplicabiles puto, demta privilegiorum personalitate. Sic enim admitteretur infallibilitas Ecclesiae, non vero eius Capitis, quod constituit personam physicam, non collectivam, seu moralem. Papa definiens actum exerit infallibilitatis *activae*, qua pollet, sibi a Christo in persona Petri concredita; episcopi vero dum pedetentim et singillatim accedunt Papae decernenti, actum promunt infallibilitatis *passivae*, qua et fideles praediti sunt. Quod si a Papa in consilium vocentur, ut in concilio, quod quidem constituit factum, non ius ex parte episcoporum, vel extra comparticipes fiant habendae definitionis, tunc et in partem vocati sunt etiam a Christo promissae infallibilitatis activae.

Non personalis solum est summi pontificis infallibilitas, sed etiam absoluta, seu nulli alligata conditioni. Quae enim conditio excogitari posset, per quam ipsamet non evanesceret? Exigitur conditio concilii? Sed tunc ageretur potius de infallibilitate Ecclesiae, non vero de individua eius Capitis infallibilitate. Immerito hic obtruditur separatio inter Ecclesiam et Caput eius. Potest ne stare Ecclesia sine rectore suo, corpus mysticum sine suo Capite? Ubi reperitur Ecclesia nisi ubi Petrus? Tota Ecclesia, ait clar. Muzzarelli (1), ubi Papa, quia aedificium non stat a fundamento divisum. *Nulla concipi potest*, ait Caranza (2), *iurisdictionis auctoritas, data Ecclesiae distinctae contra Caput suum. — Eadem est vis, eademque auctoritas in Papa solo, et una cum concilio;*

(1) Muzzarelli, *Lettera a Sofia*, ecc.
(2) V. Caranza, *Quatuor controv. etc.* Controv. 1.

etsi cum est solus, est in illo collecta, et cum est in concilio, est ad Patres effusa. Ita, et verissime, Iacob Naclantus (1).

Vel si non conditionem concilii, saltem requires consilii conditionem? Sed Christus Petro nullam omnino praescripsit conditionem ut infallibilitatis dotem possidere posset atque in actum deducere. Ne orationis quidem apposuit conditionem, quum rogaturum se promiserit pro illo: *Pro te rogabo.* Si Papa, inquies, non consulat ecclesiam universam, adeat saltem sanctam Sedem, adeat Romanam ecclesiam. Sed curnam sedes a sedente distinguitur, dum illa per hunc fit tota quanta est? Pones infallibilitatis subiectum in ipsa romana Ecclesia? Tunc peto ex quibus haec elementis coalescat. Quot cardinales, quot episcopos debet Papa consulere et sibi adiungere, ut suffragia totius romanae Ecclesiae possit referre? Caeterum si vis decreti papalis tota pendet ab antecedente vel consequente acceptatione episcoporum, quid restat personae Pontificis? Erit ne pars principalis, an completoria tantum infallibilis magistraturae? Quot comites quaerere debet, quo coetu instructus esse, ut possit evadere dogmaticae et moralis infallibilitatis subiectum? Quid autem momenti tribues primatui honoris et iurisdictionis absque infallibilitatis tutamine? An primatus ad sedem ecclesiamque romanam pertinet, non vero ad personam sedentis et Capitis? Dixeris ne illi reliquam esse dumtaxat potestatem directivam? Agitur ne hic de praerogativa an de mero officio?

(1) O. P. ep. Flor. ob. 1569, ed. duo vol. in f.

Sed quod genus primatus sibi effingunt adversarii? est mancus primatus Febronianus, non catholicus, non auctoritatis, potestatis et iurisdictionis: est praerogativa meri ordinis, honoris ac directorii; valoris mere provvisorii, non infallibilis, cui debeatur obsequium externum, ne pax interturbetur. Est primatus simpliciter nominalis, qui S. Pontificis attenuat potestatem, quasi ipse unice inferiorum suppleat defectus praesulum ex iure canonum et intra angustos fines, non vero ex officio et plenitudine potestatis (1). Repones, pontifici, etiam exuto infallibilitate personali, debitam esse ab omnibus obedientiam? Sed quae, bone Deus, ei tribueretur obedientia in rebus fidei et morum, dum in regulis constabiliendis et universitati christianae iniungendis errare posset? An ne poterit reluctans appellare ad proximum generale concilium, fors cogendum in saeculo futuro? Advertes tamen, appellantes a iudicio s. Pontificis ad concilium oecumenicum apposite iam damnatos atque inter haereticos habitos. Verissime; sed haec ipsa damnatio mihi videtur nixa fidei infallibilitatis, secus enim praeiudicium inferretur opinandi libertati, quae pro se clamat in dubiis, seu nondum definitis, vel definitis sine infallibili auctoritate.

Dices tamen, hanc obedientiam supremo Capiti deberi ob regularem disciplinae ordinem publicamque quietem. Non equidem diffiteor, illicitum esse turbas ciere sub praetextu quarumcumque disputationum in materia

(1) Hanc plenitudinem *fontalem* appellat Gersonius et *divinae institutionis*, penes Zallinger, *Instit. Iuris eccl.*, l. 1, tit. 2.

etiam pure opinabili. Sed quid, si adversus papalibus definitionibus libere et publice profiteretur doctrinas ab eo damnatas, quin tamen pacem ne leviter quidem turbaret? Nonne in iure suo consisteret et nec tantillum rempublicam commoveret? Vere infallibilitatis personalis osores primatum pontificium ad nihilum ferme redigunt. Si Papa definiat in fide et moribus, nullius ponderis habebitur definitio, nisi episcoporum fulta auctoritate et suffragio.

Si concilium oecumenicum adprobet, declarat solum, nil erratum esse in forma extrinseca, nihilque defuisse libertati suffragantium. Sicque Papa, ut plerumque absens atque a legatis in re facti non bene forsan edoctus, eo minutiae reducitur ut rem declaret, cuius non fuit testis. En quo petant fallibilitatis personalis absque exceptione patroni. Verbo concludens aio, in adversariorum systemate, vel Papam a personali infallibilitate semotum, omni reali destitui praerogativa et ad solas meri nominis praeminentias redigi, vel saltem contradicentes niti hypothesi impossibili, neque unquam extante in rerum natura. Ponunt etenim, Ecclesiae magistrum res gravissimas fidei et morum definiturum, non habito prius examine doctrinae et doctorum. Vere iniuria hypothesis, atque indigna catholico viro! Nemo autem ius habet ei praescribendi determinatam consultationis formam, quum nullibi eadem praescripta inveniatur. Inconveniens immo esset si hoc fieret. Caeterum distinctio, ad quam convolant adversarii, inter personam et cathedram, huic singulariter adiudicantes immunitatem ab erroribus, inepta nimis, et Sanctis Patribus inaudita.

Apposite s. Hieronymus ad Damasum: *Ego nullum primum*, inquit, *nisi Christum sequens Beatitudini tuae* (numquid ad personam non referuntur haec verba?) *idest cathedrae Petri communione consocior*: *super illam domum aedificatam, ecclesiam scio*. En itaque persona et cathedra Petri sunt unum et idem; coniunctio enim *idest* vim tantum possidet declarativam. *Quicumque*, prosequitur doctor, *extra hanc domum agnum comederit, profanus est*. Mitto alia testimonia, quae evincunt nullum adesse discrimen inter singularem personam S. Pontificis et ipsius cathedram.

Qui autem ad valorem actus definitivi requiri aiunt, ut Pontifex loquatur de aliorum consilio, de quorum respondeant, quaeso. Si de paucorum iuxta beneplacitum, petimus an promissio divinae assistentiae hos paucos attingat, ita ut ipsorum os vel aliorum paucorum evadat necessarium Pontifici definienti. Si autem postulant, ut Pontifex a concilio oecumenico vel ab episcopis per orbem dispersis expectet approbationem, iam actum est de ipsius infallibilitate, eaque potius uni totique simul Ecclesiae relinquetur. Verum decretum fidei morumve vim accipit, ubi primum prodeat a iudicio R. Pontificis. Unde episcopi non possunt haerere suspensi in eius acceptatione. Quid? Expectabunt ne ancipites dónec sciverint, collegas adhaerere Papae? Sed tunc quis primus adhaerere tenebitur et re adhaerebit? Omnes enim et singuli sibi illud proponentes facere quod et alii, interea nihil agent, sicque solitarium reliquent pontificem ex cathedra locutum inanesque fundentem decisiones.

Definitio a Pontifice imparato emissa casus est mere hypotheticus dignusque homine dementia correpto, cuius dementiae signa praecedent decisionem ipsam. Si agatur de materia controversa, iam matura discussio erit, iamque prudens iudicium potuit sibi Pontifex efformare, consulere scripta doctoresque viventes atque ideo profundos sibi ea de re firmosque parere conceptus. Quis dixerit, ieiunum eum descendere inter colliligantes? Iohannes de Turrecremata, quem hic adducunt adversarii, ponit facti speciem moraliter impossibilem, dum ait fieri posse, ut Pontifex solus consistat adversus generale concilium. Quid? Ne unus quidem Patrum in sententiam Papae descendit? Hic, nisi sit amens, granditer sciens erraret, et in ipsius definitionis momento; quod esset infallibilitatem eius impugnare contra eiusdem Cardinalis intentionem. Excurrunt hi scriptores per hypotheses impossibiles, fingendo Pontificem velle definire doctrinam singularem, sibi uni vehementer acceptam.

Nunquam ab Ecclesia seiunctus ipse intelligi potest, sive stet cum maiore numero sive cum saniore parte magistraturae docentis. Pars enim etiam minima fit sanior accessu R. Pontificis. Ipse plus quam Papinianus, quem duobus doctoribus aequiparabant Imperatores Theodosius et Valentinianus. Quod si rem dogmaticam definiret, ignorans quid sentiant ea de re episcopi, maior eorum numerus eum illico sequeretur definientem. Hypothesis pontificis definientis contra universalem sensum episcoporum hebescit. Theologi saeculi XV, in quorum censu eminet De Turrecremata, Papam ab Ecclesia disiungere male didicerunt, quasi ipse ab ea se adeo possit abstrahere,

ut ei donare velit opiniones suas singulares. Timores inanes! Incredibile dictu, impossibile factu! Quis enim putaverit, confirmatorem aliorum in fide a Christo designatum fieri posse eorumdem seductorem? Sed non discedamus a facto, eoque perpetuo. Quis putaverit, Pontifices definientes non illud ex corde effecturos quod Benedictus XII, quum definivit circa visionem sanctorum intuitivam aliaque dogmata respicientia hominum statum in altera vita? Praemisit enim definitioni preces piumque secessum, consultationes cardinalium et theologorum, atque definitio in nullum impegit obicem, propterea quod (neque aliter fieri poterat) apprime consona erat ecclesiasticae traditioni (1). Cupidus dogmata et mores definiendi conciliariter, ut Innocentius III qui Synodum oecumenicam optabat ut sinceram effigiem coenaculi aiens: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, summus Pontifex, quum officium definitoris assumit, non omittit enixas preces, magnamque conquisitionem, quas praestiterunt Innocentius X, Alexander VII, Clemens XI, Pius VI, alii (2).

Verumtamen non piget repetere, illis apparatibus, ut conditioni, sine qua non, haud esse alligatum inerrantiae donum. Est enim quoddam complementum inhaerens pontificio primatui et Ecclesiae institutioni. Sacramenta valent etiam cum ministro peccatore vel sine

(1) Rohrbacher, *Stor. univ. della Chiesa*, tom. 20, p. 265-270, ed. Mil. Turati 1856.

(2) V. Card. Archiep. Edesseni, *Elucubratio de dogm. S. Pont., infallib.*, typis *Civil. cat.* Haec lucubr., a pluribus doctis theologis probata, in aliquibus arguitur a D. Berengo can. th. Veneto in diario: *Il Veneto cattolico.*

gravitate agente. Omnia promittit, efficitque Christus, nil rigorose ut conditionem exigèns a Petro, nec ipsas preces. Has ipsemet conferet, ut pollicitus est: *Pro te rogabo.* Adultus se ad baptisma disponit, ut cum fructu, non ut valide recipiat. S. Pontifex, antequam actum infallibilitatis eliciat, se se procul dubio disponere debet et disponit. Si secus faciat, coram Deo evadet reus, sortitur tamen effectum vi divinarum pollicitationum. Nemo ei praeparationem, conditionem adiicere potest, quam non imposuit Christus. Quid ergo insudant aliqui in excogitandis conditionibus apponendis? Oleum perdunt et operam. Ubi Deus vult interesse, frustra requiris humanam artem. Necessaria haec dumtaxat est, ut Deus agat cum fructu subiecti humani agentis, non ut agat valide. In actu infallibilitatis quid requiris humanum ingenium, si Deus intersit? Si libido ponendi conditiones infallibilitati pontificiae audiatur, hoc fiet etiam respectu Concilii, quod ex hominibus coalescit, ut Papa homo est. Concilium, qua tale, nullam infallibilitatis dabit securitatem, seposita divina promissione. Coram Deo, qui suam exerit infallibilitatem per humanum organum, tam est homo, quam hominum congregatio. Utrumque per se est elementum mortale et fallibile. Qui igitur tanti aestimant humanum elementum, possent requirere conditiones in Concilio, quae eius infallibilitatem in periculum non adducant. Requirent, ut de essentia, preces praevias et pro data quantitate, discussiones cum hac vel illa forma, forte etiam productas ad infinitum, quousque nempe loquendi prurigo in omnibus deferbuerit. Si unum deficeret, vel in mi-

nimo, invalidas clamitarent conciliares definitiones, sicque eas impossibiles redderent. En quo perveniunt conamina mortalium ad moderandos actus Spiritus Sancti.

Doctrinam hucusque traditam et maxime rationalem sentio et nixam auctoritate hominum doctorum. Cardinalis Palaeotus agnoscit in S. Pontifice quoddam morale debitum consulendi Eminentissimorum consistoria eorumque consilia sequendi: verum si non consulat, vel non sequatur consilia illorum, acta eius etiam in gravioribus negotiis sustinentur. Qui ea irrita declarant, ponerent vim coactivam superiorem, qua obstringatur is qui plenitudinem habet potestatis: quod omnino est inconveniens. *Admittunt igitur doctores*, ait vir purpuratus, *Papam posse, neglectis huiusmodi consiliis, se culpabilem Deo in foro interiori reddere, verum non ideo poenae ulli exteriori subiiciendum dicunt, qualis esset si huiusmodi actus nullus et invalidus pronunciaretur* (1). Dandinus autem, postquam asseruit de haeresi suspectum, qui profert et tuetur propositionem a sancta Sede damnatam, licet non tamquam haereticam, post adductas rationes, ita prosequitur: *Nec excusari potest ex eo, quod praetendat, debitas diligentias adhibitas non fuisse in damnanda tali propositione: nam temerarium est credere deesse providentiam Dei, ac assistentiam Spiritus Sancti, quibus regitur catholica Ecclesia, ita ut sinant summum Pontificem inconsiderate et temere procedere, et auctoritate illa, quae infallibilis est, abuti.* Et

(1) V. Card. Palaeoti, *De sacri Consistorii consult.*, p. 1, q. 3. Adde etiam s. Alphonsum De Ligorio, *Diss. de infallib.*

recitatis plurium doctorum nominibus cum s. Thoma concludit: *Certissima adest divini Spiritus assistentia ad unum e duobus, vel ne Pontifex in materia fidei et morum aliquid decernat, absque matura deliberatione, vel ne erret, si absque matura deliberatione decreverit. Et multo magis reiicienda procul est sententia eorum, qui dicunt in casu damnandi propositiones posse errare Pontificem, si non audiat consilia cardinalium et theologorum, nam si Pontifex legat in libris doctorum quidquid cardinales et theologi possunt consulere, maturior erit deliberatio, quam quod doctrinam cardinalium et theologorum audiat* (1). Eamdem amplectitur doctrinam Iohannes De Cardenas S. I. qui negat, pontificem errare, si absque matura deliberatione decerneret de fide et moribus, negat immo cum Suarez aliisque possibilitatem casus nempe definitionis pontificiae absque convenienti praeparatione (2). Qui casus hypotheticus si evaderet realis, quod numquam fuit, nec futurum est, officeret actus honestati, non definitionis validitati, teste etiam doctore Phillips (3). Adeo parvi faciendum elementum humanum, ubi intercedit virtus Spiritus Sancti.

Sed quaenam iudicia R. Pontificis habenda sunt ut infallibilia? Definitiones, quas ipse ex cathedra promit. Quod enim ipse, ut supremus et universalis Ecclesiae Magister, proponit ut credendum de fide, illud ipsum

(1) Dandinus, Caesenas, refer. utr. signat. et S. Congr. Ind. Cons. *De suspectis de haeresi;* opus Clem. XI nuncup.

(2) Cardenas, *Crisis theol.* tract. 1 *de probab.* disp. 9, cap. 20, art. 4.

(3) Diction. encycl. de la th. cath., art. *Pape.*

habe ab omni errore immune. Potius igitur quam ad extrinsecam formam, vel bullae, vel brevis apostolici, vel epistolae encyclicae, attendas ad intrisecam materiam formamque expressionis. Veritas catholica credenda proponitur, oppositusque error tam atro carbone notatur, ut qui in eo obfirmatus persistat, iam ex hoc uno a catholica communione remotus sit habendus. Utrum vero ad hanc definitionem requiratur ut contra sententes anathemate percellantur, unus affirmat, alter negat (1). Negarem egomet, quum etiam sine anathematis additamento satis voluntatem suam declarare Pontifex possit configendi propositionem aliquam ut haereticam. Interdum autem minus caustica nota inurit thesim aliquam, eam scilicet declarando scandalosam, vel haeresim sapientem, aut similiter; et tunc fides in Pontificis infallibilitate ex cathedra docentis postulat, ut credatur non errasse Pontificem in ea, licet minus gravi, nota affigenda (2). Qui enim non errat in graviori iudicio, errasse putandus erit in minus gravi? Sed ad quaenam praetenditur haec infallibilitas? Ad res fidei et morum; haec enim ordinata sunt ad vitam aeternam. Dic pariter de factis connexis cum iisdem. Sed haec singillatim prosequi nostrum non est, ideoque uberiorum haustuum avidos remittimus ad tractatores (3).

Interea perpendentes, Concilium definiens summi Pon-

(1) V. Ballerini, *De potest. summi Pontif. et Conc. gen.* cap. 13; Phillips, 1 c.

(2) Viva, *Damnat. Thes.*, quaest. prodr.

(3) V. inter alios Noghera, *Rifless. sull' infallib. della vera Chiesa*, rifl. 15.

tificis infallibilitatem ex cathedra loquentis nil novi constituere, sed declarare solummodo veritatem antiquam ut evangelium ipsum, immo et cuius imago extat in primo foedere, in quo agnoscebatur suprema et infallibilis auctoritas Pontificis summi (1); perpendentes, hanc infallibilem auctoritatem haud excurrere ultra limites rerum spiritualium, in quibusdam suspicionibus ephemeridum et politicorum non cernimus, nisi praetextus affabre confictos Ecclesiam divexandi. Quid? An vereberis cum Lockio, ne sic ob auctoritatem personae infallibilis absque examine credatur praesentia realis Christi in Eucharistia (2)? Aut forte formidandum ne ianua catholici symboli patescat omnigenis absurditatibus? Quod ista blaterent heterodoxi haud miramur: miramur potius eadem prodire ex ore ipsorum, qui se credere aiunt divinae Ecclesiae origini et institutioni. Nobis quam maxime providum videtur stabilimentum potestatis supremae, unicae, indeficientis iactum a divino Magistro, qui nihil nos docuisset, si nos reliquisset in dubiorum conflictu (3). Legebamus, doctrinam infallibilitati oppositam reiici nunc universim a doctoribus catholicis et ab ipsismet episcopis gallis; gallicanismum modo carere theologis sectatoribus; in Gallia eminere defensores iurium pontificalium (4). Haec vidimus et gaudebamus. Gaudium aliquantisper conversum est in tristitiam; sed lux vaticana omnem dispulit nubeculam moeroris.

(1) V. Bellarm. *De Rom. Pont.* lib. 4, c. 3.
(2) *Sur l'entend. hum.*, liv. 2, chap. 33, § 17.
(3) De Maistre, *Eglise gallic.*, liv. 26 su. fin.
(4) Laforet, *Dogm. cathol.*, liv. 13, c. 1, § 4.

CAPUT XI.

CRISIS IN LAPSUS SS. PONTIFICIBUS TRIBUTOS.

Nemini eorum parcunt infallibilitatis adversarii, ut patebit ex citissimo excursu nostro per ecclesiasticam historiam. Atque exorsi a B. Petro, eum memorant non immerito argutum a Paulo (Gal. 2). Sed facilis defensio (si non personae) dignitatis saltem et praerogativae, quam naviter tuemur. Ac primo non dicemus cum Harduino, Cepham, a Paulo reprehensum, non esse apostolorum principem sed unum ex discipulis Domini; hanc enim sententiam, licet a Zaccaria doctissime propugnatam, ferme omnes repudiant (1). Sat enim est animadvertere, Petri erratum non vulnerasse doctrinam fidei vel morum, sed potius in facto consistere vel in systemate accomodationis praeter necessitatem adoptato. Non moramur hanc causam, quam plurimi apologetae victrici manu defensarunt (2), id unum animadvertentes, non sine aliqua aedificatione factum illud contigisse. Concludimus ergo cum scholastico quodam: Ipse Petrus, quod a Paulo fiebat libertate charitatis, pietate humilitatis accepit, atque per hoc exemplum posteris reliquit. Laus itaque libertatis in Paulo, et sanctae humilitatis in Petro emicuit (3).

(1) Zaccaria, *Dissert. a st. eccl.* appart. Diss. 8, tom. 1.
(2) V. interpretes, ut B. a Piconio in l., Histor. eccl. ut Rohrbacher lib. 25.
(3) V. Rainerii de Pisis *Summa*, p. 1, ad voc. *Dominium*, c. 2.

De s. Stephano, cui s. Cyprianus et Firmilianus restiterunt, iam satis Febronii confutatores et theologi innumeri. De disciplina magis quam de fide inter eos agebatur: Papa inhaerebat traditioni et novitates respuebat. Si quid autem Cyprianus deliquit contra ritus pacemque Ecclesiae, cruento lavacro lapsum abunde expiavit. Quamquam, et Donatistas non parum Cypriano sycophantatos esse falsa scripta cudendo aut vera corrumpendo, probare nisus est V. Titianus, archiep. Nisibensis. Non consentiunt multi, praesertim Palma; Augustinus tamen saltem haereticos illos capaces arbitratur supprimendi veritatem, ac proinde suspicatur, eos memoriam delevisse emendationis, quam s. Episcopus exhibuerit (1). Quando vero innuo, tunc esse certatum de disciplina magis, quam de fide, quaestionem subiective magis quam obiective inspecto. Re enim vera duo sancti Episcopi nil nisi rem disciplinarem ibi cernere sibi videbantur (2).

De s. Callisto, tot calumniis impetito ab haeretico auctore famosi libelli sub titulo *philosophoumenon*, quid asseram, postquam accusator ipse fatetur illum decreta edidisse doctrinalia totum diffusa per orbem? Haereticum hominem voco auctorem illius operis; neque enim illud tribuo Origeni cum Miillero, vel s. Ippolyto cum Bunsenio, Woordsworthio, Iacobio, Doellingerio, qui putat sanctum illum poenituisse postea, seque martirio

(1) Tizzani, *La celebre contesa di s. Stefano e s. Cipriano*, Roma Salviucci 1862; Palma, *Praelect. H. E.* § III, c. 38., Mozzoni, *Note al secolo* 3°, N. 7.; s. August. ep. 93, c, 10, § 38.

(2) V. Capellari, *Trionfo della S. Sede*, et Mozzoni, *Tavole* ecc. nota 7°, saec. III.

proluisse, sed cum Cruicio nulli scriptori catholico adscribendum duco. De hoc scripto multi disseruerunt nostra aetate, eoque abusi sunt non pauci, ei plus auctoritatis tribuendo, quam reapse mereatur (1). De Vigilio sileam, non enim post tot, eosque validissimos, quos sortitus est, defensores, meo eget modico auxilio, itemque praetereo Liberium, ineptum argumentum contra infallibilitatem R. Pontificis, iudicio eiusdem Bossueti (2).

De Honorio autem silere iam non mihi liceat, quamvis de eo loqui ferme pudeat, post tot quos numerat et accusatores et defensores. Utrique recoquent quae dicta iam sunt, nil novi adiiciunt nec possunt. Pace Dupanlupii, Gratryi, Hefelei aliorumque, accusatorum dixerim, non minus quam Pennachii, ceterorumque defensorum. Mihi post tot lucubrationes praeteritorum et praesentium haec insidet opinio. Et primo non vides in epistolis Honorii constitutionem fidei. Quid enim si Pontifex ipse declaret, se nolle prorsus definire? *Non oportet*, ait ipse in epistola 1, *ad dogmata haec ecclesiastica retorquere;* et II: *Non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare.* Neque enim citato pede definiuntur res fidei. Subdolas acceperat litteras Pontifex a Sergio, qui orthodoxam Sophronii doctrinam ut pessumam traducebat, utpote qui oppositas in Christo

(1) V. Cruice, *Etudes sur des nouvel. docum. Hist.* (1853), e *Hist. de l'Eglise de Rome* ecc., cui adiicere potes Mozzoni in memoratis *tabulis*, N. 6. saec. 3°, Fabiani *Notizie di Simon Mago*, p. 10, Armellini, S. I. in docto scripto hac de re exarato, De Rossi, *Bullettino di Archeol. cr.*, marzo e aprile 1866.

(2) *Def. decl. cl. gall.*, apud De Maistre, *Du Pape*, l. 2, c. 15.

perhiberet voluntates. Honorius metuens, ne ex parva scintilla magnum exoriretur incendium, noverat enim diuturno nuperoque experimento quam celeriter incandescerent Orientales, nascentem studuit abrumpere quaestionem, praecipiens, ne de una, nec de duabus voluntatibus in Christo verba funderentur. Verbo: magis quam constitutionem dogmaticam cerne in eius verbis oeconomicam ordinationem ad vitandas dissensiones in Ecclesia (1). Actus ergo merae administrationis non est confundendus cum definitione dogmatica a supremo universae Ecclesiae Magistro profecta. Ast, ut obiici solet, Honorius unam dumtaxat videtur agnoscere voluntatem in Christo. Intelligas tamen velim sensu opposito iis, quae Sergius immerito Sophronio affingebat. Scilicet ille huic tribuebat conflictum oppositarum voluntatum humanarum in Christo; dum Pontifex e contrario profitetur in eodem voluntatum unitatem moralem seu perfectam harmoniam. En idea, quam haurio ex epistola 1ª Honorii et fragmentis secundae, quae attente perlegenda post literas Sergii, cui Pontifex respondit (2). Si haec omnia rite perpendas, non deprehendes fortasse accuratum sermonem scientiae psychologicae, ast certe invenies orthodoxiam in verbis Honorii, qualem fassi sunt Bossuetus et N. Alexander. Neque est, cur tantopere exultet Gratryus, quod nuperrime Hefeleus episcopus contrarium demonstrare adgressus sit, Honorium scilicet ut doctorem Ecclesiae universalem et sensu heterodoxo

(1) V. Noghera, *Infallibilità del Papa*, rifless. 15.

(2) V. *Monumenta quaedam causam Honorii papae spectantia cum notulis*, Romae 1870.

esse locutum: eius enim argumenta parum habent ponderis et iam contrita sunt (1). Verumtamen ais: habemus Concilium oecumenicum, quod et Honorium anathemate confodit. Mitto, quod ad vim enervandam illius Concilii valde posthumi, grandis oritur suspicio, acta fuisse a Graecis in odium Romani pontificatus interpolata. Neque desunt exempla tam probrosae audaciae (2). Sed pone, cum integritate formali ad nos usque pervenisse acta Synodi CP. III: quid inde? Exploratum est, ea in tantum dumtaxàt valere, in quantum fuere a ss. pontificibus probata. Porro Leo II Honorium condemnat non ut haereticum, verum simpliciter ut haeresis negativum fautorem: *Profana proditione maculari immaculatam permisit*; et alibi: *Flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit*. Non hic agitur de doctrina, sed de regiminis sedulitate, quae in Honorio ob pusillanimitatem dehiscere visa est. Quod nempe Pontifici sancto prudens apparebat consilium, a posteris socordiae tributum est. Doctrina autem eius immaculata enitet in scriptis ad Sergium, in quibus geminae Christi naturae cum relativis voluntatibus et operationibus indigitantur. Sed esto etiam,

(1) Hefeleum refutarunt Pennachius prof. Rom. et solide etiam prout assolet, la *Civiltà Cattolica* 24 Maii 1870, cui addantur *Animadversiones 4 contra R. P. infall. editos libellos*. Nec refert, quod surrexerit auxiliaris Hefeleio Gratryus, 4 lettre, n. 17.

(2) V. hoc documentum penes N. Alexandrum H. E. tom. 6. Hic scriptor, licet gallicanis indulgeat, est tamen aequior in Honorium, quam sint Hefeleus et Gratryus. Argumenta coniecturalia exhibet P. Colombier penes *La Civiltà Cattolica*. 2 Sab. Maii 1870.

quod conciliari telo confixus sit doctor: intelligas velim de doctore privato, non de supremo universalique Ecclesiae magistro. Non enim cursim ad solemnem dogmaticam declarationem transeunt pontifices, sed exquisito prius doctorum antistitum consilio. Quod si hodie in urbe Roma, ubi sedent congregationes cardinalium et episcoporum, non difficulter possit obtineri; non ita antiquitus contingebat. Etenim ob cleri romani exiguitatem, necnon apostolicarum consuetudinum impedimenta, pontifices cogebant plerumque Synodos, sententiam in re dogmatica dicturi. At Synodus, inquies, eo ipso, quod papam iudicavit, illum et fallibilem habuit et sibi subiectum. Specie tenus, non re, proficit argumentum. Si enim vel doctor privatus vel factum mere administrativum icta fuerint in illo iudicio, quid inde contra infallibilitatem? Adde etiam, iudicium illud, tam serum, historicum potius quam hierarchicum esse dicendum. Quo iure tandem iudicium illud synodale habeas, quod fuit sine auctoritate pontificia peractum? Contrarium argui potest tum ex variis coniecturis, puta interruptione quadrimenstrua concilii, tum ex verbis expressis Hadriani II dicentis: *Quamvis et ibi* (nempe in causa Honorii) *nec patriarcharum nec caeterorum antistitum cuipiam de eo fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primae sedis pontificis praecessisset auctoritas.* Quae assertio exstat in epistola eiusdem papae a Concilio oecumenico VIII probata (1).

(1) Testem habemus Labbeum, Conc. tom. 6, col. 585 V. et Barruel, *Du Pape*, p. 2, c. 2, pag 232. Facile nec insolens Graecis illud falsi genus. V. De Maistre, *du Pape*, I, c. 25.

Obtrudunt etiam infallibilitatis osores aliquot responsa a ss. pontificibus emissa, quae opponuntur unitati et indissolubilitati coniugii, quasque collegit Christianus Lupus. Verum sufficiat eumdem hunc auctorem consulere (s. Leonis IX Rhem. Concil.) statimque palam fiet, Romanos pontifices praeeunte Gregorio Magno, coniugii sanctitatem et perpetuitatem tuitos fuisse, illisque morem gessisse sanctos Patres, ut Augustinus aliique a Lupo prolati. Qui vero Romani Pontifices velut adversi traduntur, non ii profecto legem condiderunt, eodem testante Lupo, sed indulgentiam elargiti sunt (l. c.).

Immerito etiam in castra oppugnantium pontificiam infallibilitatem trahitur s. Columbanus. In hoc viro eximiae virtutis promptiorem docilitatem et firmius animi moderamen nonnulli desiderant cum Fellero (D. H. in art.). In suis praesertim disputationibus circa pascha, ad Quartodecimanos accedere visus est et aliquid humani pati. Verum eumdem iudicare non renuo etiam ex epistola quae obiicitur ad Anastasium IV, quam reperies in Bibliotheca Patrum atque in patrologia a Mignio collecta. Quae quidem epistola, teste Caveo, unice testatur, *quanta libertate, quam ingenti generosoque zelo, etiam religionis christianae proceres tractaverit.* Parcendum ipsi, multoque magis non detrahendum pontifici. Ille enim, redargutus a Galliae episcopis, quod pascha, iuxta Hibernorum morem, luna XIV, quacumque die contingeret, celebraret, bis per epistolam s. Gregorium sciscitavit et post eum, qui fortasse litteras non accepit, Sabinum et Bonifacium III successores. Quod vero attinet ad quaestionem trium capitulorum, quoniam Occidentales

res orientalium parum accurate noscebant, se haud satis edoctum exhibuit Bobiensis Abbas, qui tamen scribens ad Bonifacium IV, urget eum ut Concilium cogat ad rem definiendam, suamque testatur et pollicetur in futurum apostolicae Sedi adhaesionem. Haec vero sensa an sanctitati tanti viri pontificumque reverentiae contradicunt (1)?

Nonnulla etiam ex libris Carolinis sunt excerpta, quae opposita declarantur Concilio Nicaeno II. Nihil tamen negotii haec facessere videntur. Ostendi enim potest perspicue, librorum eorum auctorem minime reiecisse doctrinam catholicam de imaginibus, neque ob doctrinam istam, improbasse synodum Nicaenam II. Hanc demonstrationem uberem solidamque videsis apud Palma, cui tamen viro singularis doctrinae et lamentabilis fati praeiverant Sirmundus et Binius (2).

Inter Iohannem XXII et Nicolaum III non extat conflictus de religiosa paupertate Franciscanorum. Praeterquam quod enim sibi invicem contradicere non probatur, quippe quandoque sub diverso respectu eamdem rem considerant, ut Christi paupertatem; praeterquam quod etiam non semper est fidei obiecta materia, ut quando quaeritur, an eorum quae usu consumuntur proprietatem habeant fratres; affirmo, saltem in oppositis Decretalibus nil offerri credendum catholico mundo. Id suadet natura argumenti et responsorum pontificalium. Dixi

(1) V. Cave, *Hist. litter.* e *Fasti della Chiesa*, vol. XI.

(2) Palma, *Praelect. II. E.* tom. 2. ex saec. VIII, cap. 4°; Sirmundus, *De canon. 2 Conc. Francoford.* Binius, *in Conc. Nicaen. II.* V. utriusque observationes in collect. Lab. Conc. tom. 7.

saltem in praefatis Decretalibus; quum alii affirment, proprie earum nullam dogmaticam esse (1). Duplex paupertatis aspectus quoad Christum, secundum maiorem eius minoremque perfectionem. Quandoque nihil ipse omnino possidebat, nec eius societas, quae spicas vellebat ad famem tollendam. Quandoque vero loculos possidebat per Iudam administrum. Ad primum paupertatis conceptum respiciebat Nicolaus III in Constitutione: *Exiit qui seminat:* ad alterum vero Iohannes XXII in Extravaganti: *Cum inter nonnullos* et in alia: *Quia quorundam.* Iuxta primum rigidum sensum Dantes Aligherius laudibus effert B. Franciscum Assisinatem. Quaestionem autem memorat, quae inter Minoritas exarsit, cuique nomen suum alligavit Casalensis Hubertinus in illo versu memoratus:

Ma non fia da Casal, nè d'Acquasparta, ecc. (2)

Caeterum neque duo illi Pontifices decisionem proprie ediderunt; neque alias inter se sunt conciliationis impotes, ut probant Bellarminus, N. Alexander et Ioh. a Turrecremata (3). Anne ipse Iohannes Papa ostendere nisus non est, se a Nicolao non dissentire?

Et quoniam de Iohanne incidit sermo, alia evocari solent contra ipsum ecclesiastica monumenta. Fertur

(1) V. Noghera, *Infallib. d. Papa*, Rifl. 15; Zallinger, *Instit. iuris Eccl.* l. 1, tit. 2.

(2) Dante, *Parad.* XI. Docendum vero, quod italus vates, vel partis studio abreptus vel deceptus mendacibus chronicis plures Pontifices male iudicaverit, prout in alio scripto iam declaravimus. V. *Beatrice*, ecc. Casale 1853.

(3) V. A Turrecremata, l. 2. *Sum.* c. 112; Bellarm. *De Rom. Pont.* l. 4, c. 14. N. Alexander *dissert.* XI in H. E. saec. XIII et XIV.

enim de visione Dei intuitiva post mortem erronee sensisse. Verum huic obiectioni, a Nepomuceno Nuytz recoctae et nuperrime ab aliis pontificiam infallibilitatem oppugnantibus, facili negotio occurritur. Refert enim Iohannes Villanius, eum protestatum fuisse, se nulli adhaesisse ex oppositis opinionibus, sed tantum dixisse disputationis ergo et exercitationis ad veritatem inveniendam. Nil affirmando vel opinando dixit, sed tantummodo instar narrationis sicuti Philippo Galliarum regi perhibebant Facultatis parisiensis Doctores. Testatur idem florentinus historicus, hunc Pontificem morti proximum orthodoxam fidei professionem emisisse et intentionem prae se tulisse omnino catholicae Ecclesiae fidei conformem. Quam quidem fidei veritatem, eo vix a vivis erepto, definiebat Benedictus XII (1).

Sed hocce Iohannis factum viam mihi sternit ad quamdam Bellarmini epistolam ad Clementem VIII super controversia *de auxiliis*. Hac etiam male usi sunt papalis infallibilitatis inficiatores. Quid? Etiam ab epistola argumentantur maxime familiari, quamque scribens rogabat pontificem ut exureret? Ita porro. Nempe Bellarminus probe tenens, definitionibus dogmaticis praemittendam esse praeparationem, quia infallibilitas descendit a certa assistentia Spiritus Sancti, non autem a divina inspiratione, ei suam aperit sententiam quoad praeparationis modum, eique potius quam studium indefessum suggerit externa adminicula, consultationes nempe academiarum et episcoporum. Profert vero ad

(1) Villani, *Istorie Fior.* lib. X. c, 228; lib. X, c. 19; lib. XI, c. 47.

rem exemplum Papae Iohannis XXII, qui totus in se collectus, aliis vero clausus, se se parabat ad definiendum dogma de sorte morientium futura. *Nil profecit* (assiduo nempe studio); *sed assistens Apostolicae Sedi supremum numinis auxilium non sivit, ut quidquam adversus veritatem decerneret.* Quibus verbis Bellarminus addit, eo mortuo, successorem catholicam veritatem definivisse iuxta doctorum assensum (1). Argumentum infallibilitatis, non vero oppositum, habes in recitatis Bellarmini verbis. Ut consiliarius et familiaris Pontificis, potuit ipse suam aperire sententiam quoad modum praeparationis ad definitionem. Nemo tamen ei posset hac de re legem dicere. Emissa vero definitione, ut nemini licet de illa iudicium ferre reprobationis, quum pure sit acceptanda; ita nec inquirere de hac praeparatione ad factum, quae semper praesumitur rei ipsi proportionata. Relinquenda vero iudicio Pontificis ipsius, qui ut in definiendo sic et in praemittendo apparatu peculiari ductus instinctu Providentiae censendus est. Licet vero Iohannes non delegerit meliorem praeparationis rationem, iudicio Bellarmini, non sivit tamen Providentia ut errorem definiret. Caeterum recte sentit hic theologus, defectum praeparationis in Romano Pontifice vel non posse, divina Providentia obstante, contingere, vel etiam non posse impedire veritatem definitionis (2).

Infallibilitatis Pontificiae hostes conflictum inter Pon-

(1) Hanc epistolam, de qua orta est disputatio, videsis penes Serry, *Historia Congr. De auxil.* l. 2, c. 26.

(2) Bellarm., *De Roman. Pontif.*, lib. IV, c. 2.

tifices ipsos se reperisse arbitrantur circa sanctorum canonizationem. Enim vero verba Xisti V affirmantis in consistorio, Romanos Pontifices *in sanctorum canonizatione errare et falli non posse*, cum sententia Benedicti XIV vix componi posse videntur. Verum quidem est, referente Galesino, in actis canonizationis S. Didaci subdi verba illa: *Idque non modo pie, sed necessario et certissima fide credendum affirmavit omnibus summis rationibus divinitus in medium allatis.* Sed Benedictus, large prolatis utriusque sententiae patronis, aperit suam, quae a Xistina non abludit. Ait enim, suspicione haeresis gravatum graviterque puniendum eum qui asserat, Romanum Pontificem in sanctorum cultu decernendo errare potuisse vel erravisse in particulari (1).

Acta Concilii Rhemensis sub Eugenio III contra Gilbertum Porretanum frustra etiam in auxilium vocantur. Pauca sufficerent ad defensionem Pontificis et Concilii. Non tamen libet cunctari in re tam exigui momenti (2).

Immerito tandem asseritur, Pium VI p. m. habuisse ut probabilem doctrinam, quae dicitur placuisse cardinali de Franckenberg, quae ius tribuit principibus statuendi impedimenta valida matrimonium dirimentia. Praeterquamquod enim in ea epistola 13 iulii 1782 circa matrimonia mixta nil simile comperi, omnino oppositam doctrinam potius invenio tum in vulgatissima bulla: *Auctorem Fidei*, in qua damnatur Synodi Pistoriensis

(1) V. *De Serv. Dei beatif. et canoniz. sanct.* l. 1, c. 45.

(2) V. Bergier, *Diction. de Teolog.* art. *Porrette*, qui consuli etiam poterit de paupertate Franciscanorum, art. *Franciscains.*

doctrina Ecclesiae exitialis, tum in epistola ad electorem Trevirensem 2 februarii 1782 (1).

Habes in hoc excursu plane dissolutas accusationes, quibus impetuntur actus romanorum Pontificum ut eorum in dubium revocetur infallibilitas. Facta si factis opponere liberet, unum adest constans et omnium temporum, quod decretorium est omnemque dirimit quaestionem. Quoties s. Pontifex circa fidem et mores quidquam decrevit; quoties absque Concilio, quod saepissime contigit, haereses profligavit, toties ei adhaeserunt catholici orbis episcopi atque in posterum definienti adhaerebunt semper. Quomodo enim membra a capite, partes aedificii ipsaeque columnae divellentur a fundamento divinitus facto? Quomodo a trunco praecidentur rami? Praecisi arescent, ut ait Cyprianus. Scilicet vis ipsa unitatis et principii vitalis, quam Ecclesiae Christus indidit cuique servandae invigilat Dei providentia, hanc postulat episcoporum adhaesionem. Quae adhaesio licet ab ipsa constitutione Ecclesiae oriatur supra unitatem et firmitudinem Petrae fundatae, exsurgit tamen simul e libero consensu episcoporum, qui sunt fidei iudices per iudicium non quidem *dubitativum*, sed potius *confirmativum*. Iudicare enim post iudicium Pontificis quid est aliud nisi proprium iudicium coniungere cum Papae iudicio? Ita sub tutela S. Sedis Episcopi actum eliciunt, in quo obedientia et auctoritas simul amico nexu consociantur. Decretum fidei morumve vim exerit suam semel ac prodit a iudicio S. Pontificis. Unde non possunt Episcopi haerere

(1) V. haec documenta in *Cursus completi Theolog.* Migne, tom. 26.

suspensi in eius acceptatione. *Ubicumque*, ait S. Hieronymus (ep. ad Damasum), *fuerit corpus congregatum*, *illic congregabuntur et aquilae.* Nempe: Ubicumque fuerit caput et centrum Ecclesiae, illic congregabuntur et reliqua membra ut idem cum Capite sentiant. Haec de fide et moribus. Quoad vero disciplinam, quae est libera, in casu dissensus tentatur compositio. Quod si a Papa dividatur Concilium, detruncatum evadet carensque suo capite. At contra *Sedes Apostolica semper est per se ipsam verum ac proprium universalis Ecclesiae caput* (1).

CAPUT XII.

DEFINIBILITAS, OPPORTUNITAS DEFINITIONIS, IMMO NECESSITAS.

Nemo potest rationabiliter ambigere, quominus definiri possit ut fidei dogma infallibilitas R. Pontificis. Clare enim, ut vidimus, eruitur ex verbis Domini atque ex constanti Ecclesiae sensu. Non itaque in ea definienda novum dogma procuditur, sed vetus repetitur et defenditur quod Christus ipse tradit. Numquid id iuris deerit Ecclesiae? Verum isthaec, ut clamat doctissimus Muratorius, sine erroris suspicione decernere potest quaecumque *dogmata scitu necessaria sint aut utilia fidelibus, quoties ista per rectam interpretationem deduci possint tamquam praeexistentia in revelatis per Scripturam Sanctam, aut per concordem et antiquam traditionem ad nos*

(1) V. Fénelon. *De s. Pont. auct.* c. 35, 36.

transmissam (1). Qui Ecclesiam catholicam traducit veluti novorum dogmatum officinam, is hercle putidam calumniam recoquit centies a protestantibus iactam adversus eam, centiesque a catholicis scriptoribus repulsam (2). Contingit interdum, ut quaedam dogmata, licet ex puris fontibus clare deducta, a spiritu erroris obscurentur, et tunc Ecclesia eadem declarat (3). Dogma infallibilitatis Pontificiae aliquantulum fuit obscuratum tempore magni schismatis, nempe saeculo XV. Dixi *aliquantulum;* non enim tunc deerant magni doctores, qui illud tuerentur. Memoro inter alios Cardinalem de Turrecremata, qui docebat, ad Papam pertinere determinare quae sunt fidei; errare eum posse, ut persona est, non vero considerando divinam Provvidentiam; ad determinandum aliquid de fide non opus habere Concilio. Haec et similia doctrinae capita hausit a s. Thoma, de cuius thesibus super auctoritate R. Pontificis confecit fasciculum. Id ipsum dic de Card. Zabarella, id ipsum de Panormitano, qui docebat, Concilium generale illam habere potestatem, quam habet a Papa (4). Saeculo insequenti Caietanus variis editis opusculis, Carranza, aliique, quos pro opportunitate memini, eamdem profitebantur doctrinam. Et postea exsurgente Gallicana secta, quae principum blandiebatur potestati cum gravi Ecclesiae iactura, quot episcopi et doctores Ecclesiae iuribus et libertati

(1) *De ingen. moder.* lib. I, cap. 13.
(2) Bergier, *Diction. de Teol.* art. *Dogme.*
(3) Chrismann, *Reg. fidei cath.* § 11.
(4) Zabarella, *Concil.* 154; Panormit. in cap. *Super quibusdam* Num. 3. *De verb. signif.*

favebant! Non eos hic memorabo (1). Dicam immo, temporibus Ecclesiae minus faustis episcopos singulari obsequio prosecutos fuisse Pontifices etiam minus sanctos, quos viam erroribus contra fidem recludere non posse autumabant (2).

Tantae nubi testium non erit ergo fides habenda? Utique, responsum fuit, sed non maior, quam mereantur credibilitatis momenta, quae sunt nutantia nimis, videlicet pseudo-decretales Isidorianae. Sed numquid eas Pontifices ediderunt, vel eas, ut sinceram mercem, venditant? Haudquaquam. Orta enim in Hispania vel potius in Gallia Pseudo-Isidoriana decreta nonnisi serius a rom. Pontificibus sunt prolata. Numquam vero eadem ut authentica habuerunt. Ipsi immo protestantes fatentur, per has decretales nil novi Pontificis praerogativis accessisse. Nullo vero negotio adversarii confutantur a multis (3). Caeterum facti Isidoriani, quod a mendacii officiosi labecula expurgare frustra conaberis, reitas in Pontifices non cadit. Qui si quandoque iura sua tuebantur, nixi hoc fundamento, non erat certe unicum, quum alii authentici fontes eadem continerent doctrinae capita. Hoc iamdiu observatum fuit et observare perges institutis comparationibus (4). Cave igitur arbitreris, doctrinae

(1) V. Petitdidier, *De auctor. et infallibil. SS. Pont.*, cap. 12 et 13.

(2) V. Baron. ad an. 995 et Mabillon. *Praef. in saec. V, Ord. S. Benedicti.*

(3) V. si libet, Mozzonianos continuatores ad saec. IX nota 6.

(4) Videsis Decretales Pseudo-Isidorianae et capitula Ingilrami ad finem librorum manuscriptorum recensuit fontes indicavit Commentationem de collectione Pseudo-Isidori praemisit Paulus Hinschius an. 1863. Scopus autem collectoris, generalis potius quam

articulum, qui super apocrypha monumenta unice stabiliatur, ad gradum provehi catholici dogmatis.

Post definitionis, quam probavimus, possibilitatem venit eiusdem opportunitas. Quam quidem nescio quomodo inficiari quis audeat. Nonne est ipsa, qua de agitur, veritas evangelica ex evangelicis nempe fontibus recta procedens? Nemo, putaverim, inficias ibit, post interpretationem, quam tradidi, triplicis testimonii dominici. Si autem veritas est evangelio, cui serviunt tempora, non quod debeat temporibus servire, stricte connexa, quomodo poterit desiderare opportunitatem? Formidabis ne scandalum? Verum istud nequaquam *infirmorum* est, potius autem *pharisaicum*. Male asseritur, fideles non posse modo hanc portare veritatem, proindeque, exemplo Christi, temperandum esse ab ea promenda (Ioh. XVI, 12). Impedimentum non aliunde quam ex patre diabolo est. Numquid Paulus de resurrectione et iudicio non amplius disseruit, quia Felix praeses respondit: *Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te* (Act. Apost. XXIV, 25)? Qui inopportunitatem praetexunt, iidem et plerumque veritatem ipsam inficiantur. Quando igitur opportunitatem ipsam consectabuntur? *Caelum et terra transibunt*, priusquam tempus adventaverit illud declarandi verbum Dei. Mihi vero si loqui liceat, opportunum valde hoc temporis apparet. Nonne hodie *Rationalismus* supremum suum protulit verbum, quo auctoritatem omnem convellere satagit in sinu Ecclesiae et societatis,

partialis, nempe in reformationem Ecclesiae intendere. Quae vero tribuit Pontifici, authenticis etiam documentis confirmantur. Caeterum v. Hinschii proleg. ubi de consilio Pseudo-Isidori.

omniaque sus deque miscere? Proferat et suum verbum salutis theologia catholica, in tuto collocet auctoritatem infallibilem Ecclesiae, sine qua labascit politica, eiusque indicet subiectum concretum, quod sit obvium, permanens, ordinarium, quodque non invenitur nisi in R. Pontifice. Concilia oecumenica, probante Papa, sunt quidem oracula nescia falli, at possibilia tantum in casibus extraordinariis, non in communibus, qui omnes relinquendi sunt iudicio primae Sedis. Difficillima, sumptuosissima, non obstantibus terrae marisque rhedis Euro citioribus, collectio episcoporum per omnes catholici orbis plagas degentium.

Caeterum dicant, amabo, homines opportunitatis, quando ventura sit auspicata dies definitionis. Num quando omnes qui catholico nomine censentur, amplexuri eam sint ut munus Dei? Sed tunc ultra calendas graecas illa protrahetur. Semper enim contradicet spiritus erroris, qui tot habet apostolos in mundo et oppugnabit indesinenter veritatem evangelii quoadusque demergatur in puteum abyssi. Si praedicatio veritatis evangelicae remittatur ad tempus quo sileat oppositio, in aeternum silebunt apostolica labia. Christus usque ad hunc terminum non tulit accommodationes suas. Profecto infirmitatis auditorum misertus, noluit ad tempus onerare eos veritatibus, quibus intelligendis nondum essent parati. At veritates etiam invidiosas pharisaeis in faciem proiiciebat. Alia ratio mentis infirmae et nondum satis edoctae, alia vero malitiae ex proposito contradicentis. Quando veniet opportunum momentum? Quid, si Concilium Vaticanum postremum esset futurum?

Interest autem, ut haec veritas a conventu episcoporum declaretur. Nam Rom. Pontifices pensum suum iam abunde absolverunt, asserendo explicate illam suam infallibilitatis praerogativam, doctrinamque oppositam notando, ut praestitit Alexander VIII eos damnando qui futilem asseruerunt et toties convulsam doctrinam de infallibilitate Rom. Pontificis, quam fidei proximam dixerunt duo luminaria theologiae catholicae, Bellarminus nempe et Suarezius (1). Et tamen post tam perspicuam declarationem Pontificiae mentis, en ad nostra usque tempora Gallicani et Febroniani impetunt doctrinam illam, ac si Pontifices iudicium redderent in causa propria. Exsurgat ergo Concilium et dirimat omnem litem. Sane nonne tempus opportunius declarandi dogmata fidei illud est, quo magis magisque oppugnantur? Hoc maxime contigit hisce diebus. Homines caeteroquin doctrina spectabiles, opportunitatem discussionis primo obtutu aggredi volentes, eo brevi devenerunt, ut doctrinae ipsi venerabili praefracte repugnarent, atque resistentiam ad decretum usque conciliare urgerent. Ingens aliunde episcoporum numerus tam cari dogmatis declarationem vehementer optabant atque enixe poscebant a supremo Pastore. Quid inde? Quaestio opportunitatis evanescebat; nam iudices fere sexcenti illam extra Concilium praefocabant, absolvebant. Non erat itaque in aulam oecumenicam ferenda. Non enim illic tractatur de opportunitate, sed de veritate rerum.

(1) Vide Viva et Cardenas eam commentantes damnationem, et S. Alphonsum de Liguori praeclaram hac de re dissertationem.

Sed ne qua scrupulorum rimula relinquatur adversariis, petimus ab eis quidnam formidinis Patres Vaticanos ab ea definitione deberet absterrere. An metus Iudaeorum, propter quem nemo palam loquebatur de Iesu, quoque laborabant Ioseph ab Arimathaea et ipsi discipuli Domini (1)? An suspicio quod haeretici magis aversentur catholicam veritatem? Sed quoniam, pessumdata auctoritate, in abyssum errorum omnium ipsi excurrerunt, per cultum auctoritatis et fidem in eam sunt ad veritatis viam redigendi. Aut forsan timetur, ne libertini, qui se libertatis iactant apostolos, offendantur? Si Iudaeis, si ethnicis modernis, antiquis peioribus, tantum placentia nuntianda forent, actum iam esset de religione evangelii, nec trepidandum ob minas Caesaris vel tribunorum, qui livido oculo aspiciunt Christum et praerogativas eius Vicarii. Ad annuntiandum dogmata fidei quaeretur placitum regum vel populorum? Quando sedebat Concilium in meditatione verborum Domini, insurgebant arcana consilia Europaeorum regum adversus Christum Domini et eius vices gerentem. Tradebantur Patribus suggestiones, monita, iraeque minaces ostendebantur eis. Quid agendum? Demonstrandum ne erat, Verbum Dei esse alligatum saeculo XIX, quo contritus iacet omnis laqueus servitutis et libertas praedicatur in vicis et in plateis? Scandalum ortum esset, et maximum, si os Patrum obstructum esset, quasi loquentium iniqua. Non Patres a laicis gubernatoribus accipere debent consilia, sed potius hi ab illis referant verba salutis.

(1) Ioh. VII, 13; XIX, 38; XX, 19.

Pone, quod numquam eveniet, pone Iudices fidei, a laicis potestatibus terrefactos, abstinere a quibusdam definiendis, pone, ne displiceatur Caesari, praetermitti quae sunt Dei, quanta inde petra offensionis! Iam enim veritas, etiam claro in lumine posita, obtenebrabitur atque in dubium revocabitur a multis; iam erroribus accensebitur, atque civilibus rectoribus, tamquam oculatioribus, eorum tribuetur detectio. Sciunt enim omnes, Ecclesiam veritates silentio non premere; si ergo tacuit ad principum querelas, testimonium perhibuit, quod in mala via versaretur. Silentium Ecclesiae, quando laici dominatores vetant loqui, quid aliud esset nisi veritatis proditio, immo etiam erroris confessio?

Ex hactenus dictis exurgit, potius quam opportunitas, necessitas ipsa definitionis. Si, indicto Concilio, scriptores catholici et protestantes non caepissent Pontifici contendere infallibilitatis praerogativam, Concilium probabiliter non emisisset appositam definitionem, contentum, ut alias contigit, glorioso praeconio misso ad Ecclesiae supremum Doctorem. Sed hoc sufficere non poterat ad retundendos errores huc illucque pervagatos contrasentientium. Accedit, quod Concilium concinnabat symbolum fidei universale, incipiens ab existentia Dei atque usque ad novissima perlatum. Quid? Agitur de Ecclesia, fructu redemptionis, et silendum de eius capite, Redemptoris Vicario? Agitur de Rom. Pontifice, eiusque iuribus mere temporalibus, et ne verbum quidem de maxima eius praerogativa, seu infallibilitate? Quid? Si in tabula totius catholici systematis haec conspiceretur lacuna, suspicarentur non pauci, infallibilitatem non

esse Ecclesiae dogmatibus accensendam; eo vel maxime quod urgeret necessitas id definiendi quod in quaestione ponebatur. Opportunitas ergo facta est manifesta necessitas; quam necessitatem praecipue constituebant ipsius veritatis dogmaticae oppugnatores. Dolendum mihi quam maxime est, ut quo tempore auctoritas rom. Ecclesiae ipsiusque supremi Capitis tam acriter impetitur ac pene concutitur ab hostibus cuiusque generis, hoc ipso theologi, professores ac forsan etiam episcopi, gallicana nescio an febroniana fuligine conspersi, illius auctoritatem attenuare valde studeant. Miselli homines! Putabunt ne, se ipsos accepturos quod detrahunt Patri? Sed huius minuendo potestatem, propriam dubio procul imminuunt. Profecto qualitas capitis et centri totius Ecclesiae omnes trahit fideles ad s. Pontificem. Verum si caput infallibilitatis aureola praefulgeat, nonne fiducia augebitur magis in venerabilem rectorem et strictior fiet adhaesio eius personae? Porro coniunctio ovium cum relativis pastoribus horumque cum capite universali nonne magis est necessaria quando portae inferi plus contra Ecclesiam dehiscunt? Caeterum stupor subit animum, quum videam catholicos viros hanc praerogativam communi capiti denegasse. Verum melius saperent, si rem maturius recogitarent. Ambulant enim per hypotheses inanes et immo iniuriosas, ponentes nempe luctam inter s. Pontificem et episcopos, quasi possent esse inter se antagonistae. Sed quid episcopi disiuncti a Papa? Nihil omnino: sunt membra arida vel putrida avulsa a corpore. Si itaque per Papam episcopi sunt id totum quod sunt, si ab eo scissi ne ad catholicam qui-

dem pertinent communionem, laetari eos oportet de glorificatione capitis, quae erit ipsorum propria exaltatio et glorificatio. Quod Papae tribuitur, non demitur episcopis, qui cum eo infallibiles permanent, coniunctim, sive collecte sive dispersim. E contrario quod Papae negatur, nil addit praerogativis episcoporum. Vis scire, qui magis adversentur prerogativam infallibilitatis in Pontifice? Gubernia, monarchica sint vel democratica parum refert, quae iuri in sacra etiam per vim occupando inhiant. Re enim vera, quam stricte doctrinae theologorum, infallibilitati pontificiae repugnantes, fuerint connexae et coaevae Pragmaticae Sanctioni, edictis Ludovici XIV, legibus Iosephi II, Constitutioni civili cleri gallici, notum est vel inscitis. Arcte cohaerent doctrinae gallicanae et febronianae cum Ecclesiae servitute, ut docet rerum magistra, experientia. Nec mirum, quod haec thesis parum protestantibus irrideat, quippe qui Ecclesiam ponunt ancillam imperii. At sciant ipsi, nos uni viro, Christi nempe vicem-gerenti, eam tribuere infallibilitatem, quam iidem cuique rationi individuali adscribunt. Videant et conticescant. Sciant etiam, in quacumque bene constituta societate exstare supremum et permanens tribunal, cuius si non possint esse *infallibilia*, saltem sint *irreformabilia* iudicia.

CAPUT XIII.

DEFINITIONIS FORMA.

Huc usque de substantia, nunc ad modum transeamus vel formam. Concilium, utpote ens collectivum, suam prodet sententiam, non ad instar incompositae multitu-

dinis, sed more bene ordinati consessus et sapienter moderati. Sicuti vero multi simul collecti constituunt corpus deliberans; quaeri potest, quaenam esse possit huiusce voluntatum genuina expressio. Hac in re tria demonstrasse sufficiat. Ac primum ut s. Pontifex decernere valeat in Concilio oecumenico circa fidem et mores, sufficit ut pro sua sententia habeat maiorem suffragiorum numerum. 2° Posset immo id praestare etiam minori numero fretus. Tandem in dogmate infallibilitatis definiendo intervenit moralis unanimitas Patrum.

Ordiamur a prima thesi. Mos est per omnia tempora et loca diffusus, ut deliberationes collegiorum fiant per maiorem suffragiorum numerum. Quia deliberandi necessitas urget, quia difficillima est omnium consensio in re quacumque, usu receptum est, ne etiam in suspenso maneant gravissima negotia, ut maior numerus praevaleat in collegio. Antiquitas et universalitas huius formae deliberativae ex facile congesta eruditione probari posset (1). Mihi sufficiat animadvertere, eamdem et iure romano placuisse et canonico. Revera invenio, imperatores Theodosium et Valentinianum haec monita tradidisse Senatui: *Ubi diversae sententiae proferuntur, potior numerus vincat auctorum*; *vel, si numerus aequalis sit, eius partis praecedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut singulos vincit,*

(1) V. Grotium, *De iure belli et pacis*, lib. II, cap. v; Puffendorfium, *De iure nat. et gent.*, lib. VII, cap. II, § 15; Barbeyracium, vero in additamentis gallicis ad utrumque auctorem, praecipue vero Henrici de Cocceii Comment. ad H. Grot. Comment. lib. II, cap. v, § 17. *De plural. suffrag*

ita cedit duobus (1). Idem pariter habes in iure canonico, quod sancivit regulam illam Plinii: *Numerantur sententiae, non ponderantur*, et illam Prudentii contra Symmachum: *Servemus leges patrias, infirma minoris Vox cedat numeri, parvaque in parte silescat*. Exceptiones tamen numerantur et in Ecclesia, ut quando agitur de electione s. Pontificis vel de beatorum canonizatione, et in quibusdam societatibus, in quibus pro gravioribus negotiis plenitudo requiritur suffragiorum (2).

Ast haec tam generalis regula est ne aptanda Conciliis? Necessitas cogit eam amplecti, nihilque statutum est in contrarium. Si itaque Papa maiorem pro se habeat Patrum numerum, tuto potest dogma fidei in Concilio definire. Fas immo id est Concilio ipsi, quod non Pontificis sed legatorum praesentia condecoret. Et revera, teste Cardinali Pallavicino, in historia Concilii Tridentini, legati apostolici sic allocuti sunt fidei iudices Tridenti coactos: *Quoniam multi Patres dixerunt, declarandum esse, an mansio sit iuris divini, alii de hoc verba non fecerunt, alii negarunt ad hanc declarationem deveniendum, quo Patribus seligendis ad formanda decreta, liceat ea sincerius formare, dicant Patres brevissime per verbum* placet, *aut* non placet, *velint nec ne ut declaretur mansio esse iuris divini, quo pro maiori suffragiorum ac sententiarum numero digeri possint decreta, pro eo ac in hac Sacrosancta Synodo semper usitatum est; qui numerus in praesentia propter sententiarum varietatem*

(1) Cod. Theodos., lib. II, tit. IV, edente Haenel, Lipsiae, 1842.
(2) Decret., lib. III, tit. II, *De iis quae fiunt a maiori parte capit.* et Innoc. Cironii *Paratitla* in l. b.

haud videtur liquido constare. Dicant itaque tam clare, tam distincte, ut eorum sententiae perscribi possint (1). Ne dicas autem, hic nondum agi de causa decisiva fidei vel morum, sed tantum de praeparatione remota ad dirimendam quaestionem minus ad praxim spectantem, quum certum sit residentiae onus, sive divini iuris sit sive humani. Alia colligam ex eodem Concilio exempla proprie ad rem facientia. Nonne ipsum irrita declaravit matrimonia clandestina? Latum hoc decretum est, praesentibus bis centum Patribus ac suffragium ferentibus. Sed quum ventum ad hoc periculum est, quinquaginta Patres pro sententia negante steterunt. Sessio haec VIII, quae habita est die 2 novembris anni 1563 per integras horas decem producta est et per non modicam noctis partem. Hoc refert B. Bartholomaeus de Martyribus praesens Tridentino. Pariter sessione VI, quae celebrata est die 17 septembris, actum est de augustissimo Missae sacrificio. Displicuit nonnullis Patribus, quod poneretur secundo canon de institutione sacerdotum per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, quae res utcumque videri posset essetque probabilis, non tamen erat sufficienter discussa. Quia vero Patres numero paucissimi erant, nempe quinquaginta circiter, et aliis videbatur satis *discussa* quaestio et *examinata*, ideo et definita est. Alia controversia fuit, quia in decreto sacramenti ordinis ponebantur haec verba: *Quod ad Papam pertinebat regere universam Ecclesiam*. Postulabatur quod diceretur potius, *Papam esse super omnes fideles*,

(1) Lib. XVI, cap. IV, N. 19. Eleganti autem usus sum versione latina P. I. B. Giattino S. I.

aut super universas Ecclesias, quod legati noluerunt admittere; quia Concilium Florentinum expresse dicit, Papam regere universam Ecclesiam. Et hoc etiam habetur in Concilio Lugdunensi *(De elect.* l. 6), ubi Papa universalis Ecclesiae pastor dicitur. Hinc quum veritas, tam perspicua et manifesta, ut nulla ratione possit obscurari, in controversiam sine causa fuisset adducta, iure ac merito legati cedere noluerunt, nec verbum istud omittere voluerunt: *Universalis Ecclesiae,* quod etiam habetur in capite *In nomine Domini* 23 Dist. Et in act. 4ª Concilii Chalced. s. Pontifex vocatur *Universalis Ecclesiae Papa.* Tandem post sessionem septimam usque ad finem huius mensis examinati discussique fuere canones *de matrimonio*, fuitque magna contentio, an conveniret irritare clandestina; tandem a *maiori parte* videlicet a 130 Patribus iudicatum ea posse et debere irritari saltem non coram tribus testibus facta; aliis vero numero 57 oppositum sentientibus. Hucusque Bracarensis episcopus (1).

Non equidem sum nescius, Paulum Sarpium in sua Tridentini historia contra modum tenendi in Concilio, suffragiaque ferendi non per nationes, sed potius per singulos episcopos invehi. Verum si hic usus specialis et abnormis obtinuit in Concilio Constantiensi et in Basileensi, factum id fuit ob specialem conditionem Ecclesiae: agebatur enim de tollendo schismate lugendo saeculi XV (2). Absolute vero loquendo, modus a Tridentino

(1) *Summa conc. omn.*, Taurini et Romae, Marietti, 1869, pag. 291-98, 309-10, 518.

(2) V. Scipionis Henrici, *Cens. theol. et histor. adv. Petri Soave Polani*, ecc.; item Cardilli *Apol. in doct. Conc. Trid. adv. Ioh. Frabrit. Montan.* Labbaei, tom. 11.

adhibitus est rationabilior. Sic enim ratio potius habebatur singulorum episcoporum, et veluti par ratio; singuli enim coalescunt ut pari donati potestate iudicii et pari instructi iure suffragii. Hodierni infallibilitatis adversarii nobiscum colluctantur eidem innixi Tridentino. Aiunt enim ex Pallavicino, regulam unanimitatis praescriptam a Pio IV fuisse, sicque peregisse antecedentia Concilia. Verum quae mens, quaeque praxis Tridentini fuerit, iam innuimus ex testibus fide dignis. Addimus nunc ex Pallavicino apud Turnelium, quod nempe Tridentini Patres definierunt, Christum se ipsum obtulisse sacrificium Deo Patri in ultima coena, licet repugnantibus pluribus, quos Sarpius dicit numero 23 et fere in *medietate*. Item decretum de missae sacrificio et communione sub una vel duabus speciebus, quod Imperator petebat suspendi, tandem suffragiorum pluralitate praevaluit, tametsi qui repugnabant, aperte intercederent. Similia tradit idem Suavis. Hisce praeiactis, nullo negotio occurritur difficultatibus ex Tridentino depromptis. Primum quidem video duas insignes differentias intercedere inter Tridentinum Concilium, et hodiernum, nempe Vaticanum. Non agebatur tunc temporis de articulo definiendo, de quo pariter disputaretur inter catholicos, sed tantum de iis de quibus res erat catholicos inter et protestantes ipsos. In hoc vero casu poterat exigi unanimitas, quum de re nunquam inter catholicos disputata facile poterat exurgere Patrum plenissimus consensus. Dissensus autem aliquorum praesumi rationabiliter potest de re quondam disputata, licet ad theologicam certitudinem perducta ob theologorum

et Patrum collata studia. Altera differentia in hoc est sita, quod ingens modo sit Patrum numerus comparate ad Tridentinos. Quando autem exiguus appareat illorum numerus, videtur aequitas postulare, ut aliquantula exigatur unanimitas ad decreta sancienda. Quando vero latius pateat numerus, quid refert oppositio sextae vel septimae partis? Tunc recte dici potest cum Augustino: Contra tot millium episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, curanda non est auctoritas quinquaginta, vel septuaginta aliorum (C. Cresc., III, 3). Profecto num Tridentini abstinuissent a definiendo dogmate adversus protestantes, si v. g. viginti e Patribus ipsi definitioni obstitissent? Minime sane. Pariter Vaticani Patres abstinebunt ne a definienda veritate contra nuperos liberales catholicos, qui haereditatem collegerunt a Gallicanis et a Iosepho II relictam, tamque accommodata ad astruendam auctoritatem R. Pontificis cum tot aliis hodie excussam, quia solum id renuant quinquaginta vel sexaginta Patres? Adde, quod oppositio istiusmodi non sit valde miranda. Nam plerique ad eam transierunt a timoribus ducti saltem apparenter gravibus. Reformidant enim inimicitias et vexationes guberniorum, acriorem aversionem sectarum, exacerbationem politicorum. Quo fit, ut sint excusabiles et bonam fidem manifestent, praesertim si qui fuerint gallicano lacte vel febroniano innutriti. Haec plane sufficiunt ad creandas oppositiones novae definitioni, quin amplius expediat suspicari, artes diplomaticas timores addidisse prudentibus hisce Praelatis. Sed affirmari ne potest, adesse Patrum nucleum, qui Papae

infallibilitatem ut dogma reiiciunt? Nemo id suspicetur. Aliqui huc usque solam definiendi opportunitatem oppugnarunt, immo profitentur, se negando opportunitatem definitionis non inficiari hanc ipsam pontificiam praerogativam. Nemo, putaverim, inter Patres doctrinas amplectitur, quas effundunt Doellinger, Gratryus, aliique huiusce sectae, quam debet profligare Concilium Romae sedens. Quo posito, sic: Quaestio opportunitatis iam est absoluta; diremit enim eam Pontifex post petita ingentis numeri episcoporum. Quid vetat eandem solvere extra Concilium? Porro Patribus proposita quaestione infallibilitatis, praesumi debet, unanimitatem moralem etiam ex iis conflatam, qui inficiantur opportunitatem, pro illa stare. Tentandum itaque periculum est, et prudenter tentatur. Quod si sola exsurgat vocum pluralitas, quod non puto, res pariter acta debet censeri ob rationes iam prolatas. Sed redeamus ad Tridentinum, aliaque consulamus concilia.

Utique in Tridentino, suadente Pio IV, capta est deliberatio, ne definirentur nisi ea, de quibus inter Patres fieret consensio. Verum haec prudentiae norma suam invenit rationem in relativa facti specie, seu in genere quaestionis, quae tunc agitabatur, cuiusque fere nullus practicus effectus. Quaerebatur enim, an iurisdictio episcopalis immediate a Deo, an mediate, per Papam descenderet. Urgebat ne necessitas definiendi rem, non satis claram praesertim ob sententiarum varietatem? Minime. Iam enim Pastores, iure ecclesiastico propriis dioecesibus devinciebantur, quod satis est ad eorum procurandam mansionem. Et quamvis iure etiam divino

ad id tenerentur, semper poterit eorum Princeps declarare, eosdem certis in casibus non obligari vel curandae sanitatis ergo vel Ecclesiae universae bonum magis promovendi. Longe momentosior autem quaestio praesens: Utrum nempe episcopi, ut fideles, teneantur assensum praestare Papae ex cathedra definienti? Sed rem latius prosequamur. Non minus proficiunt exempla, quae ex antiquioribus proferuntur Conciliis. Episcopi enim dissidentes in Nicaeno et in Chalcedonensi quid erant aliud nisi Ariani et Monothelitae? Quid si ipsi numerosiores adventassent, vel si ferme numero aequassent catholicos? Numquid hi a definienda Verbi divinitate, vel duas voluntates et actiones in Christo abstinuissent? Si semper a numero penderet fides, christianismus sepultus iacuisset in Ariminensi. Praeterea mihi videtur ponenda distinctio inter dogma et dogma, quamquam omnia pariter ubi sciantur ab Ecclesia proposita sint fide tenenda. Aliqua enim clare adeo ad essentiam pertinent christianismi, ut ea inficiari velle sit velle patentem haeresim etiam ante, si tamen contingere potest, Ecclesiae declarationem. Huiusmodi est divinitas Iesu Christi, qua sublata, ubi Christianismus? Alia vero non ita clare connectuntur cum essentia christianismi, et longiore discursu eruuntur vel ex sacris litteris, vel ex traditione, vel ex ipsamet christianismi seu Ecclesiae constitutione. Haec autem, antequam Ecclesia loquendo solvat omnia dubia, possent bona fide negari. Exemplum habe in pontificia infallibilitate. Quae licet sat clare eruatur ex Christi et Sanctorum Patrum verbis, nec non ex penitiore Ecclesiae constitu-

tione, potuit tamet dubiis obvolvi, et obvoluta est per aliquod tempus, id exigente quandoque ratione politica maiestatis vel saepius libertinorum licentia. Atque hic etiam advertas velim novam differentiam inter hocce dogma et alia plura. Haec enim quum directe non attingant vitae praxim, neque iactata iura imperiorum, facilius transitum obtinent. Non ita infallibilitas pontificia, a qua aliqui timent privatae ethicae vel publicae coercitionem. Minus itaque mirere, si veritas haec oppositionem in Concilio et catholicos inter nanciscatur prae aliis veritatibus sole fidei clarioribus. Inter divinitatem D. N. I. C. et inerrantiam eius Vicarii aliquid discriminis intercedit. Illa enim primo obtutu se se obiicit menti christianae, ut necessarium fidei obiectum; haec vero nonnisi aliquo eruitur discursu, nec omnibus, neque statim obvio.

Sed tunc, inquies, deest veritati, qua de agitur, certitudo illa et claritudo, quae omnino requiritur ut ad fidei dogma possit attolli. Non deest, repono, certitudo moralis, quando maiori parti post diligentem et magnam conquisitionem apparuerit. Raro secus hanc fas erit consequi. Nonne opinio maioris numeri ita quietat societatem, ut a magistratibus sic aperientibus mentem suam acceptet etiam mortis sententiam? Scio equidem, moralem certitudinem absolute non excludere possibilitatem et consequenter formidinem errandi. Errare enim possunt et errant magistratus in civilibus et in criminalibus iudiciis. At infallibilitatis certitudo plus quam moralis Concilio adiungitur per virtutem Spiritus Sancti. Quam profecto assistentiam non denegat Concilio, quo-

tiescumque fecerit quod per se est. Si igitur ex sua parte quaerat certitudinem moralem, ut in humanis, ad nihil ultra tenetur, dignumque se praebet ut in eo adimpleantur promissa Spiritus Sancti. Defectus humanos adimplet virtus Spiritus Sancti, qui nunquam declaravit necessariam unanimitatem ut ipse descendat. Non est cátholicus, qui non credat, Concilium oecumenicum dirigi a Spiritu Sancto. Catholicus autem scit, vim non inferri proprio intellectui, quando hic ad credendum invitetur oecumenici Concilii decisiones, quas Spiritus Sanctus suo obsignavit sigillo, licet quoad elementum humanum pluralitatem suffragiorum tantum retulerint. Magnum credibilitatis pondus, si adversarios audias, accedit Concilii decisionibus ex vocum unanimitate; atque hoc omnino requiritur ad captivandos intellectus in obsequium fidei. Perbelle! Tota vis ergo credibilitatis in actis Congregationis, quacum definit Spiritus Sanctus, ita ut dici possit: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*, pendet a paucis suffragiis? Si ita est, quomodo Ecclesia a Tridentino accepit sacrorum librorum canonem sine tamen unanimitate exaratum? Quomodo accepit clausulam relate ad Mariam Virginem, non memorandam quando de peccatis agitur? Haec clausula, quae tam arctam habet cum dogmate relationem, a maiore non a totali numero fuit adoptata. Quomodo asseritur ergo, legem sibi praestituisse Concilium dogmata definiendi tantum cum omnium assensu? Ex hoc praecipue, quod quum aliqui Patres non consentirent in tribuendo s. Pontifici titulum *universae Ecclesiae partem sustinentis*, Pius IV, ut moras abrumperet, declaravit, in eo casu

nihil definire, nisi quod omnibus evaderet acceptum. Non hic ideo constituit regulam generalem traditam, sed effugium provide nactus est in casu particulari, et velut in causa propria. Ita ne regulae generales absolutae atque ineluctabiles constituuntur (1)?

Non regeras, regulam praeferendi maioris numeri sensa civiles usus sapere atque esse valde periculosam neque adoptandam in Conciliis. Sed tamen universim et ex necessitate quadam accepta, nonne idem obtinet in electionibus et in causis ecclesiasticis etiam? Et quomodo aliter exploranda consilia singulorum varie opinantium? Nulla expeditior, ait Puffendorfius, via inveniri potest, quam ut sententiae numerentur (2). Scio, in humanis multos quandoque haerere, illudque immo approbare, quod Deus reprobat. Ego vero nullum praesto cultum idololatricum vi materiali numeri; hic tyrannidem exercet in politicis, non in ecclesiasticis Conciliis, ut mox videbimus. Sed in eo cerno solum legale medium manifestationis opinionis plurium atque praevalentium. Admiror autem legislatorum ecclesiasticorum sapientiam, qui parti numerosiori saniorem semper praeferendam statuunt. Sunt enim plerumque alia dignoscendae veritatis criteria, quam numerus, qui interdum stultitiae desponsatur. In Conciliis vero oecumenicis quaenam pars sanior est? Cui adhaeret R. Pontifex. Pone ergo, hunc cum pluribus stare. Non hos arbitraberis saniorem partem? Si secus, rationi tuae nimis indulges, eamque

(1) Id ipsum dic super quaestione de fonte iurisdict. episc., ut animadvertit Guerangerius, op. iam memor.

(2) Puffend., *De iur. nat. et gent.*, l. VII, cap. 2.

constituis ab omni independentem obsequio auctoritatis. Non me latet, adversarios se iactare libertatis patronos et quidem in re maximi momenti. Agitur enim de imponendo humeris nostris iugo, quod non portaverunt patres nostri, de subiicendo intellectu novo articulo fidei. Nonnulli ponunt libertatem Concilii in *praevalentia negativa minoris numeri*, cui vis tribuitur impediendi declarationem dogmatum fidei (1). Sed hac ratione non laeditur libertas plurium, illud illaqueando quod rationabiliter habent in votis? Itane dissensus paucorum praepediret catholicam manifestationem et vocem communis fidei? Laesio libertatis est ne in paucioribus an potius in pluribus? In omnibus Conciliis, paucioribus semper dissentientibus, semper haec laesio commissa fuit.

Aurelianensis episcopus, qui sibi dicit faventem archiepiscopum Baltimorensem, plura affert post Concilium Tridentinum testimonia in contrarium, ut Cardin. Bessarionis in Florentino, Iacobatii, Turnelii, Muzzarelli, aliorumque recentiorum (2). Digna meliori causa eruditio! Quae tamen parum proficit. Et primo purpuratus orator Concilii Florentini obiter tantum memorat quod fieri deberet, quia omnibus in verum consentiendi incumbit obligatio; non autem asserit, id ex necessitate pertinere ad validitatem actus eiusdem. Miror autem obtrudi hic

(1) In ephem. *Le Français*, 24 april. e 2 maii 1870. V. pariter opusc. *De l'unanimité morale*, ecc, Neapoli impressum et Dupanlupio tributum. A laeso libertatis phantasmate argumentatur etiam Albertus Desjardins, *La liberté des Pères au Concile de Trente*, in periodico: *Revue critique de législation et de jurispr.*, tome 37, 1.re livraison.

(2) Tournely, *De Eccles.*, p. 1ª, q. 3, art. 5.

etiam in diario, quod aversabatur hanc quaestionis diremptionem, nomen et Cardinalis Iacobatii, qui eo usque progreditur in auctoritate asserenda s. Pontificis in Concilio, ut habeat episcopos, potius quam iudicum, consiliariorum loco. Nescio insuper quomodo ipsis ab adversariis obiiciatur auctoritas docti theologi Turnelii. Hic enim clarius pro re nostra loqui non potuisset. Ait enim: « Communis haec semper fuit ac recepta omnium tribunalium lex ac regula, ut ex plurali suffragiorum numero sententia pronuntietur. Si enim audiantur qui repugnant et contradicunt, si expectetur eorum consensus, nec prius lata sententia vim et auctoritatem legis assequatur, quam sententiae acquiescant, nulla unquam finietur controversia, aeternae erunt ac interminabiles discordiae: quanta inde et in republica et in Ecclesia rerum perturbatio! Quod si in omni civili ac politico tribunali lex illa locum habet, quanto magis in ecclesiastico! Etenim multitudo episcoporum, qui Romanum sequuntur Pontificem, eam ipsam Ecclesiam repraesentat; cum suprema doctrinae ac ministerii auctoritas a Christo concessa est simul cum singulari inerrantiae seu infallibilitatis privilegio. Turnelio adiungitur Muzzarellius, qui pluries in decisionibus conciliaribus videtur requirere *unanimitatem moralem* sed haec, ut subdit, *consensio numquam deesse poterit* (1). Sed haec unanimitas in ore multorum stat pro momentosa vocum pluralitate. Idque ex eo probatur quod dicitur deficere nunquam posse. Sed quid plura? Plus ultra progreditur

(1) Muzzarelli, *De auctor. Rom. Pontif.*, tom. II, c. 5 et tom. I, cap. 4.

auctor, ut mox videbimus. Quae responsio valet etiam contra ea, quae male petuntur ex auctoritate Vizzardelli et nuperi Iesuitae galli (1). Spalding vero a Dupanlupio dissentit circa unanimitatem. Scriptores gallicani, qui negant Papae ius definiendi cum suffragiis maioris partis Concilii, in contradictiones proruunt et excessus vere enormes. Quae revera contradictio evidentior, quam illa, in quam lapsus est Maretus episcopus Surensis? Nihili enim ipse facit maiorem numerum dum stat in agmine Papae; sed contra hunc illi tribuit ius illimitatum. Docet enim, pontificem a Concilio deponi posse, si maiori Patrum numero refragetur, cui proinde, ius tribuitur reducendi Pontificem ad imam conditionem regis qui regnat et non gubernat, et suam paucioribus imponendi voluntatem. Sicque maior numerus vim habet contra Pontificem et omnino tabescit pro eo. Quanto aequior gallicanus Richard! Is enim ait, ab episcopis dari suffragia et a praeside concludi iuxta vocum pluralitatem. Adde, Papam, iuxta gallicanorum systema, in Concilio exauctorari omnino atque postponi praesidi cuiuscumque conventus, qui saltem cum maiori vocum numero potest consilium inire et quaestionem dirimere (2). Ita scriptores huiusce scholae in eo semper sunt, ut imminuant potestatem Papae in Concilio. Huic enim inesse per se infallibilitatem censet N. Alexander, si necessarias prae se ferat conditiones, nempe *generalis convocationis, libertatis in suffragiis et moralis una-*

(1) Redactor periodici sub titulo: *Études*, ecc. V. litteram Archiep. Spalding. ad Ep. Aurel.

(2) *Analysis Conciliorum.*

nimitatis: additque, Papam non indere infallibilitatem Concilio, sed declarare, in eo tantum exstare requisitas conditiones. Quae opinio non est extra aleam posita, nec nimis consonat cum aliis eiusdem auctoris opinamentis, de quibus non multa post verba (1).

Ius ecclesiasticum non caecum cultum exhibet numero. Hic potius felicior evadit in politicis comitiis, ubi quod maiori parti placet, id iustum, id utile omnibus, id irreformabile saltem in facto coram principe, cui relinquitur sine regimine regnum. Sed ista labe idololatrica non commaculatur ius canonicum. Quod clamat, ut *praevaleat semper et suum consequatur effectum, quod a maiori et saniori parte Concilii fuerit constitutum* (2). Ast quae pars sanior, et cui competit eam detegere? Non profecto id spectat ad praesidem collegii, nisi forte summa rerum in eumdem sit collata. Talis profecto est s. Pontifex respectu Concilii. Quis enim inficiabitur, eum ita praevalere non solum singulis partibus contendentibus, sed etiam toti Concilio, ut hoc ab eo disiunctum et integrum desit esse et verum Concilium? Si igitur opinio, quam minor Patrum numerus sectetur, ei magis arrideat, integrum ei erit eamdem praeferre atque ad dogmatis dignitatem evehere. Pars minor, tanto aucta suffragio *sanior* evadit, et organum sincerum sensus Ecclesiae. Quam quidem Ecclesiam si Petrus ab initio cum undecim sociis poterat repraesentare, quid ni modo plus quam quingenti requirentur episcopi?

(1) Dissert. IV, saec. XV et XVI.

(2) Conc. Later. in III Decret. *De his quae fiunt a maiori parte.* Cap. V, ibi docta Gonzalezii commenta.

Quot, quaeso, nunc Papae replebunt coronam? Audiatur Melchior Canus, cui pollicem premit iam laudatus Turnelius (1). « Pondus Concilii, ait ille, dat s. Pontificis gravitas et auctoritas, quae si adsit, centum Patres satis sunt; sin desit, nulli sunt satis, sint quamlibet plurimi. Nec si maior pars Patrum vere sentiat, s. Ecclesiae Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Christi procurationem pertinet, semperque pertinuit, ne Ecclesia in fractiones duas dividatur, nec Romanus unquam episcopus contra Patres Concilii vera sentientes dixit. » Repetam nostris quae Turnelius gallicanis sui temporis aiebat: « Hanc Cani doctrinam dissimulare non debuissent, qui nobis illam obiiciunt. » Quam doctrinam, ut stricte connexam cum Ecclesiae institutione, amplectitur Muzzarellius, qui ait, decisionem aliquot episcoporum Papae coniunctorum decisionem esse dicendam corporis Ecclesiae (2).

Animadvertas hic velim, in parte minori, quam Pontifex reddere potest et quandoque reddit *saniorem* calculo suo, cum minus duci argumentis subiectivis, ut doctrina, sanctitate sedentium, vel nobilitate sedium et similibus, sed obiectivis, nempe ex natura rerum erutis. Placet ad concilia extendere, quae Cardinalis Palaeotus de Consistoriis dicit. In Collegio Cardinalium, ait ipse, cum illi, qui in amplissimum hunc gradum adsciti sunt, a communibus quibusdam aliorum erroribus immunes

(1) Melchior Canus in *Locis*; Turnelius vero, *De Ecclesia*, p. 1ª, q. 3ª, art. 4.

(2) Muzzarelli, *Lettera a Sofia sulla setta dominante*, Fuligno, 1790, pag. 122.

esse censeantur, non solet inter eos discrimen ullum in recensendis suffragiis considerari, licet non impediat hoc quominus, si Summo Pontifici videbitur, non possit ille pro singulari sua prudentia eorum consiliorum, quae in Consistorio ferentur, delectum habere, et quae sibi pro loco et tempore honestiora et opportuniora videbuntur, quamvis pauciora sint, aliis anteferre (1). Magnopere itaque aberrant, qui in pensandis Concilii opinionibns ac determinando utra praeferri debeat, censent habendam esse scientiae rationem. An non viri scientiae hinc et inde inveniuntur? Vel inter hunc et illum electum ad praesidendum sacerdotibus quorum labia custodiunt scientiam, poterit esse enormis differentia in mensura doctrinae? Sectarum est iactare scientiam, quasi patrimonium quod integre ad eas pertineat. Hoc systema comparandum est sententiae illorum politicorum, qui docent reipublicae regimen conferendum optimis esse; qua nil deterius ad irrequieta desideria fovenda, rebelliones exsuscitandas: nam praesumunt pauci vel multi, se esse scientia praestantiores. Saltem sedium principaliorum habendam esse rationem dicunt, qui in id videntur incumbere, ut necessariam Ecclesiae intercipiant actionem. Incaute nimis, sin malitiose. Scio, in Tridentino disputatum, an episcopi in Concilio collecti repraesentarent Ecclesiam, teste Pallavicino (VI, 9); non vero utrum singuli singulas ibidem dioeceses. Sedent enim ibi iudices universae Ecclesiae cumulate cum eorum Capite. Ex se igitur nihil repraesentant, cum Papa

(1) *De sacri Consist. consult.*, p. 3ª, quaest. 5.

vero Ecclesiam universalem. Quid, si maiores sedes vacarent vel earum pastores Concilio neque per procuratorem adessent? Deerit ne tunc repraesentatio Ecclesiae quia absunt pastores maiorum sedium? Non abs re hic erit dicere quod de deputatis politicis: Nationem, non provinciam, repraesentant, tantumque valet, immo plus valere potest deputatus ultimi, quam primi Collegii electoralis. Ab adversariorum tricis et ambagibus nobis est cavendum ne pes illaqueetur. Modo rationem habent numeri, quod cum grano salis accipias velim. Si Papae in proposita quaestione ignoretur sententia, maior praevaleat numerus, quorum stabit praesumptio veritatis; si vero suos aperuerit sensus, tunc minor numerus cum eo, utpote sanior, vim habet. Sufficit in primo casu amplior suffragatio; sed vis decreti manet in suspenso usque ad pontificiam approbationem, quae nempe non sit mera recognitio regularitatis in Concilio observatae, sed intrinseca quaestionis revisio (1). Qui nunc gallicana vel febroniana sunt lue tacti, hi profecto se in opinando singulares ostendunt dicentes, non sufficere maiorem numerum, etiam Papa accedente. Et tamen gallicani et febroniani tantam vim tribuunt numero adversus Pontificem!

Quamquam Albertus Desjardins existimet, apologetas super lubricum incedere in Concilio Vaticano defensando, si minoris numeri, in quo scientia eminet et sedium claritudo, non habeatur ratio, et contra faveatur maiori

(1) V. Bolgeni, *Opere edite e inedite*, vol. II; *L'Episcopato*, cap. XI, art. 6, Orvieto, 1837.

ex italis conflato et praelatis pensione a s. Sede donatis; ego tamen existimo, Vaticanum eiusque libertatem non minus tuto defendi posse, ac fuit Tridentinum ipsum (1). Mitto quaerere, an scientia proprie confugerit ad partem minorem, nec etiam aurificis trutina ponderare praesumpsero doctrinam et merita, quae stant hinc et inde. Periculosa alea et fallacia plena. Non semel enim scientia et virtus ibi cubant, ubi minus apparent. Non defendam italorum scientiam, quae defensione non eget. Potius eorum memorabo libere et sincere loquendi facultatem in iis etiam qui hospitali domo victuque a s. Pontifice oblato fruebantur. Neque est, cur scriptor gallus suspicetur de Praelatis pensionem a s. Sede accipientibus. Quid? Putat ne eos tam demisse sentientes de veritate et de Christi Vicario, ut lucrum praeponant conscientiae? Tam ne abiecte sentiret de aliquo deputato in nationali comitio, qui mercedem ex aere publico perciperet? Non urgeat, amabo, has inurbanas hypotheses: secus nobis ansam praeberet suspicandi de Praelatis gallis, omni exceptione maioribus, qui tamen stipendium ab aerario publico reportant. Immo cum notorie eorum gubernium aversaretur infallibilitatis pontificiae thesim et similia, posset dici, iuxta auctoris illiberalem interpretationem, illos imperialibus indutos insigniis in Concilio constitisse. Sciat Gallus iurisconsultus, et gallos et italos caeterosque omnes episcopos

(1) V. Pallavic., *Histor.*, lib. XXIV, cap. XV et adiectam Fontidonii Apologiam; item Nat. Alex., saec. XV et XVI, dissert. XII, art. 16. V. etiam supra memoratam *Revue crit. de législat.*, tom. XXXVII, première livraison.

magna libertate esse locutos, maiore etiam suffragatos, nec suffragia plus valitura in pastoribus maiorum sedium, ubi athei vivunt catholicis commixti, non quia scientia plus inveniatur in amplis quam in parvis locis, sed potius quia sunt omnes pariter episcopi et iudices in Ecclesia, Spiritus Sancti servientes imperio.

Superius dicta ante dogmatis definitionem exarabam; postea vero die XV kalendas Augusti Sessio IV celebrata est, quae omnium vicit expectationem. Nam quingentis triginta quinque Praelatis suffragia ferentibus, duo solummodo responsum negans dederunt cum formula: *Non placet.* Benedictus Deus totius consolationis, cuius in manu sunt sortes Ecclesiae suae! Ipse complevit abunde nostra desideria. Optabatur enim, ut paucissimorum dissensus non *tolleret moralem unanimitatem*, et simul demonstraret libertatem suffragii? Ecce hoc ipsum factum est. Si duo libere coram Pontifice et Concilio renutaverunt assensum, cur non et alii id ipsum potuissent? Duo autem coram quingentis triginta tribus omnino evanescunt, et velut umbra lucidiorem reddunt unanimitatis pulcritudinem.

Sed tamen, inquies, in praecedenti congregatione non levi vulnere icta unanimitas fuit, quum alii per *non placet* absolutum, alii iuxta *modum* responsum dederint. Praemitto, cum *modo* acceptari substantiam, nisi modus ipse, quod plerumque non fit, substantiam ipsam corrumpat. Deinde definitionis momentum non consistit in suffragatione Congregationis praeparatoriae, sed in responso affirmativo vel negativo, quod traditur in sessione, namque usque ad illud perseverat libertas suffra-

gii mutandi. Verumtamen, sic perges dicere, oppositores hesterni abfuerunt a sessione IV; et hi voluntarie non responderunt per verbum *placet*. Numquid hi ponendi inter consentientes? Sed nec inter dissentientes, quia actui definitivo non participarunt. Suffragatio determinatur a numero praesentium, et lege etiam Pandectarum (L. 3, 4, D.) sustinetur, quando duae tertiae partes adfuerint. Definitio igitur pontificiae infallibilitatis omne tulit punctum, vereque dicenda *moraliter unanimis*. Habemus autem hic confitentes ipsosmet adversarios. Sic aiunt, unanimem definitionem habitam in Constantin. Concilio anno 381 a 186 episcopis, licet 36 episcopi Macedoniani voluntarie abfuerint. Acta eiusdem Concilii ad ita sentiendum adversarios adegerunt; referunt enim haec verba: *Fide consensu communi stabilita*. Qui enim ante suffragium voluntarie a Concilio abscedunt, non amplius pars eius sunt pro illo actu. Rursus in opusculo *De morali unanimitate*, Neapoli impresso, affirmatur decretum de canone sacrorum librorum unanimiter fuisse probatum per suffragium definitivum, licet in praecedentibus Congregationibus praeparatoriis quatuordecim episcopi aliter sentirent ac viginti alii (1). Quod si adversarii velint omnino eos, qui se a Concilio abalienarunt pro actu Sessionis IV, habere ut partem minorem illius pro actu eodem, tunc fas erit nobis semper asserere, in praecedentibus Synodis, refragantibus

(1) V. duo opuscula, unum Parisiis, alterum Neapoli editum *De unanimitate morali*; insuper *La Civiltà Cattolica*, 6 agosto 1870. Nuperrime hanc eamdem materiam explanat prof. Pennachii rom., qui iam Honorii causam defenderat.

haereticis qui abstinebant a suffragio ferendo, dogmata fidei definita esse per solam vocum pluralitatem. Non video, quomodo ex hoc dilemmate se valeant extricare. In omnibus enim Conciliis fuerunt oppositores; et propter hos praesertim ad concilia ventum est. Si ut pars Concilii habeantur, quamvis se a suffragatione definitiva subtraxerint, stabit semper, suffragiorum pluralitatem vim habuisse sententiae definitivae.

Sed unanimitas moralis, illa nempe, quae semper est optanda semperque curanda, Sessionem IV honestavit. Vere fratres venerabiles habitantes in unum ambulaverunt; et decreta Concilii cum magno zeli ardore ubique diffundentur. Talis corona gloriae debebatur Pontifici, qui tam abunde tamque constanter gloriae suae Capitis participavit. Quandoque concilia exhibent solum pluralitatem pro veritate certantem et suffragantem pro illa; quandoque immo pars sanior est numero inferior, ut contigit in Basileensi, in quo praefulsit Ambrosius Traversari, qui Eugenium IV de existentia recte sentientium numero pauciorum certiorem reddebat (1). Peius se gesserunt Arimineuses tempore s. Damasi Papae, qui proinde parvipendit illa suffragia contraria suo et aliorum optimorum. « Neque enim, ait ipse, praeiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimino congregatum, quando constat, neque Romanum episcopum, *cuius ante omnia decebat eos expectare decretum*, neque Vincentium, qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodivit, nec alios talibus

(1) V. Cecconi, *Studi storici sul Conc. di Firenze*, parte I, cap. v, num. 5.

praebuisse consensum (1). Patet hinc, accessum R. Pontificis partem etiam minimam Concilii reddere saniorem, ut inquiebam. Quam vero qualitatem in paucis dissentientibus conspicatus est summus Pontifex? An scientiam? An Sedis dignitatem? Minime. In Vincentio, qui Capuae Angelus erat, consideravit potius diuturnitatem optime gesti episcopatus. Probe autem tenebat, Spiritum Sanctum lumina sua et assistentiam pollicitum esse. Qui se aliis doctiores putant, vel leviter alios iudicant de doctrina aliisque dotibus, ii profecto uberrimos haustus a Spiritu veritatis non derivant. Hic enim simpliciores et corde humiliores magis amat.

Laetus exitus Sessionis IV Vaticanae, quae fere omnium Patrum clausa est assensu, et de qua exultavit catholicus orbis, alios portendebat triumphos ad incrementum splendoris in Ecclesia Christi. Qui illi non interfuerunt, eius oracula falli nescia veluti certatim amplectuntur, illisque mentes et corda lubenter subiiciunt. Si Petrus loquitur, conticescunt prae reverentia iudices duodecim tribuum Israel. Verba definitionis subsequitur silentium acceptationis. Quod si iudices venerantur iudicium supremum, quid non incurvabitur omne genu, nec silebit multitudo catholicarum gentium? Ii etiam, qui doctrinae veritatem impugnarunt vel definitionis opportunitatem, nunc factum et ius recognoscunt, confitentes se in errore stetisse. Iam multi se tradiderunt gloriosa mancipia fidei veritati, iam populus evadit labii unius et sermonum eorumdem. Aliquot episcopi et Collatio Fuldensis, op-

(1) Apud Petrum Coustant., *Epistolae Rom. Pontif.*, tom. I, columna 486.

portune post errata plurium theologorum, modo concinunt iuxta modos Concilii Vaticani (1). Sic inter varia opinamenta et sine libertatis offensione explicatur concordia fidei, quae a charitatis fervore faecundata, dabit fructus in tempore suo et perficiet christianum gregem in unitate ovilis et Pastoris, ut omnes fiant unum, sicut unum sunt tres divinae personae.

CAPUT XIV.

SUMMUS PONTIFEX ET TEMPORALIA REGNA.

Infallibilitatis pontificiae osores argumenta etiam pro re sua promebant ex iis apostolicis Constitutionibus, in quibus RR. Pontifices decreverunt imperatoribus vel principibus regna auferre, subditosque solvere a praestito fidelitatis iuramento. Praesertim vero clamant adversus Constitutionem Innocentii IV in Fridericum II imperatorem latam, nec non adversus Decretalem Bonifacii VIII *Unam Sanctam*, in qua doctrina proditur superioritatis pontificiae comparate ad regna et imperia. De hoc argumento egissem eo capite, in quo plura Romanorum Pontificum facta dictaque pervolvi. Sed quia hic res etiam est de doctrina, quae amplam postulat tractationem, ideo eam speciali loco explanare mihi proposui.

(1) Sic *L'Unità Cattolica* die 10 septembris 1870 ex diario romano. Errores concinnatos a facultate theologica Monachii in Bavaria et in duobus opusculis gallico idiomate exaratis abunde iam refutavi in diario cath. *L'Armonia*, an. elapso plur. edit. artic.

Si enim ageretur solum de facto, seu de iudicio practico, in quo ponatur, episcopos orbis catholici claudicasse (quod non concedo), me paucis expedirem; nunquam enim dixi neque dicam, hominem ad Sedem Apostolicam evectum impeccabilem fieri. Non equidem repugno, ad haec facinora transiisse R. Pontifices ex sincera persuasione habendi facultatem ad hoc, et saepe hanc persuasionem actu in ipso declarasse eiusque fundamenta. Sed reponerem. Numquid istud est definiisse ut veritatem dogmaticam ipsa principia quibus innitebantur sententiae depositionis in principes iactae? Quis dixerit, motiva decisionis efficere legem ut decisiones ipsae? Quisquis hospes in iurisprudentia non fuerit, novit secernere partem *dispositivam*, ut aiunt, sententiae ab eiusdem motivis. Quaecumque sint igitur motiva etiam stricte doctrinalia, quibus fulciuntur sententiae condemnationis, ea non sunt habenda ut fidei morumque capita in decreto ipso definita, in quo pars praecipua immo essentialis est sententia poenalis. Praeterea, actus ipsos editos esse et directos contra personam individuam, nec theses includere fidei morumque universae Ecclesiae propositas ut credantur. Sententia Papae Innocentii IV, lata in Concilio Lugdunensi, est vere conciliaris actus. Adstabant enim Patres et probaverunt. Non enim obstiterunt; et actus negativus hic induit naturam vimque exerit positivi; illi enim obstitissent, si non censuissent probandum actum. Haec immo approbatio confirmatur ab ipso Pontifice, qui fatetur ad eam venisse sententiam *cum Fratribus et sacro Concilio, deliberatione praehabita diligenti*. Est ergo actus vere conciliaris; Patres enim

eidem vere participarunt, cereis accensis praesentes anathemati, et lumina extinguentes peracta lugubri functione. Eadem sententia nititur motivis facti, quae Fridericum perhibent ut haereticum et Ecclesiae persecutorem; et insuper verbis Domini: *Quaecumqne ligaveris super terram*, ecc. Argumentis facti pariter nititur sententia depositionis contra eundem iampridem lata a Gregorio IX, quam ex Mathaeo Parisio et Raynaldo ad annum 1239 refert Rohrbacher. Prolata est auctoritate *Patris, Filii et S. S., Sanctissimorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostra*, seu ipsius Gregorii. Hic vero notandum, ut appareat, quae fuerit tunc temporis fides regum et populorum et quale ius publicum viguerit inter christianas gentes, Fridericum antiquioris sententiae auctoritatem agnovisse, postea vero in profundum malorum dilapsum censuras etiam, ut innuit idem Innocentius, contempsisse. Mirum autem videri potest, quomodo Bossuetus superius adducta testimonia torqueat ad excludendam participationem Patrum Lugdunensium in sententia contra Fridericum illata (1).

Actus doctrinalis potius est Decretalis Bonifacii VIII *Unam Sanctam*. Omnes de necessitate salutis subiici Romano Pontifici, qui proinde omnes potest iudicare, a nemine iudicandus. Ut materia Spiritui cedit, ita spiritualibus omnia temporalia. Porro unum est necessarium, aeterna nempe hominum salus: *Quaerite primum regnum Dei*. Postulat itaque bonus ordo, ut ad aeternae salutis finem temporalia dirigantur. Si deviat, ait s. Pontifex,

(1) *Defens. Declar. cl. gallic.*, p. I, l. IV, c. 8.

temporalis potestas, iudicabitur a potestate spirituali; et si deviat spiritualis minor, a suo superiore; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari. Concludit autem: Subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, omnino esse de necessitate salutis. Isthaec autem tam clara, tam certa ut nil magis. Profecto quis ambigat, potestatem ecclesiasticam longe praestantiorem esse civili, et rempublicam absque religione statui integramque consistere non posse? Non immoror in his constabiliendis, quae sunt luce clariora et multa eruditione firmata a doctis viris (1). Memini tamen, quae Iustinianus ipse docuit de potestatis spiritualis praecellentia. « Si, inquit Novel. 137, civiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad subditorum securitatem studemus; quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum et divinarum legum custodiam, quae super salute animarum nostrarum definitae sunt. » S. Thomas praeclara utitur comparatione ad hoc ipsum significandum: « Sicut corpus, ait ipse, per animam habet esse, virtutem et operationem; ita temporalis iurisdictio principum per spiritualem Petri et successorum eius. » Gersonius ipse, qui nimis non indulserat Ecclesiae, eidem tribuit in laicam potestatem *dominium regitivum, directivum, regulativum et ordinativum*. Et Launoius, principibus propensior quam Ecclesiae, illorum tamen leges ab hac abrogari posse

(1) V. A. Bennettis, *Privileg.*, ecc., tom. VI, *De potest. eccles. et civ.*, art. 2.

censet, si pugnent *contra ius divinum vel contra ius naturale* (1). Ad demonstrandam autem superioritatem potestatis ecclesiasticae mutuatus est praelaudatus s. Thomas similitudinem spiritus et corporis in humana persona ab Innocentio III. Qui pariter usus est comparatione duorum luminarium in coelo. Perbelle! Sed unum maius, minus alterum, unum illuminans, illuminatum alterum. Utrumque discurrit viam suam, nec unum in cursu alterum intercipit. Maius non potest oberrare, et minus ita debet procedere ut percipiat lumen maioris; secus obtenebrascit, et mundus civilis, tenebris obvolutus, quatitur undis saeculi. Eadem comparatione, sed aliquatenus immutata minusque apta ad veritatem graphice exprimendam usus est Dantes, ubi de duobus solibus Romae loquitur duas vias clarificantibus, mundi scilicet unam et alteram Dei. Ibi loquitur de duobus luminaribus, tanquam aeque principalibus, non tanquam de minori et maiori mysticum sensum portendentibus, quem Innocentius arripuit (2). Ponit etiam ibi lumen spirituale absorbuisse politicum, et praenuntiat quodammodo utriusque, si non extinctionem, saltem exitum lamentabile. Verbo: Amator tenax imperii, quod veluti unicum depositarium eminens terrenae potestatis ratus est, Papatum minus recte iudicat ob opera praeterita, minusque in posterum de eo confidit. Qua in re videtur poeta castigandus: quod fecimus et nos (3).

(1) V. laud. Auctor. loco supradicto.

(2) V. in libr. I, Decret. artic., *De maioritate et obed.*, nec non Cornel. a Lapide in Gen. I.

(3) V. *Beatrice*, l. iam. ind., et *Benassuto*, Comment. ad XVI *Purgat.*

Postulat igitur ordo rationalis, idemque cognitus per revelationem, ut temporalia serviant aeternis et materialia spiritualibus. Hac lege constituta sunt christiana imperia, postquam Ecclesia societatem regeneratam liberavit ab imperatoribus ethnicis, qui ipsi sibi Dii erant, et liberavit eosdem sibi lucrifaciendo et Christo. Hanc legem ut obediatur Deo magis quam hominibus et quaeratur ante omnia regnum Dei, cognoscebant christiani imperatores. Hinc Carolus M. suis legibus praefatus, dicebat se *devotum defensorem Ecclesiae Dei*, *humilemque auxiliarium* (1). Dignitas imperialis et regia, non haereditaria tunc temporis inter Francos, sed fiebat successio, populo eligente *et Papa ratificante quoad dignitatem imperialem*. Si praeter originem imperii et regnorum in gentibus christianis, habeatur ratio conditionum quarum iurabatur implementum, facilius erit explicare actionem papalem inter leges et regna mediae aetatis. Id fassus est Leibnitius, qui ait cum multis aliis ad rem: « Illud certum est, qui circa salutem animarum procurandam plenam a Deo potestatem habet, tyrannidem ambitionemque procerum coercere posse, quibus tot animae pereunt. Eadem saepe et salutis animarum et boni publici cura, ut nesciam an non cum conscientia regum Ecclesiae universali etiam sceptra subiiciantur. » Adeo haec doctrina est rationi consona, adeo respondet ordini idearum et rerum. Spiritus negligi non potest, corporis gratia. Vis ne scire causam, propter quam politici tam libenter abstrahunt a religione et somniant atheam gu-

(1) Capit. *Reg. Franc. XI*, p. 209.

bernii formam, innaturale monstrum, ignotum ethnicis, christiano autem mundo probrosum? Disce hanc causam a Lamennaeo, qui eam repetit ab anima rebus exterioribus mancipata et nunquam in contemplatione realitatum intellectualium defixa (1). Quando nempe animalis homo humi repit, non assurgit ad caelestia, non cogitat quae Dei sunt. Hinc necessitates, quas sentit, ordinem terrenarum rerum non praetergrediuntur. Tam alte eum transtulit lex progressus indefiniti, quam unice agnoscit! Sed homo, quia constans anima simul et corpore, alias persentit necessitates, nempe spirituales. Religio itaque menti eius est, quod corpori cibus.

Clamitant adversarii, garriunt, Pontifices sibi temporalia principum subiecisse, sphaeram idcirco praetergressos activitatis suae. Possem cum Bellarmino aliisque respondere, eos potestatem dumtaxat indirectam in temporalia principum et regnorum exercuisse, quia nempe haec erant spiritualibus annexa.

Verum et haec indirecta potestas eis male sapit, quia omnem rempublicam emancipare vellent ab ipsa gubernatione Dei, a lege nempe quam ipse inseruit humanis pectoribus, a codice Evangelii, a canonibus Ecclesiae, videlicet ab omni penitus subiectione revelationi et rationi. Gubernia autem prorsus emancipata a iudicio Ecclesiae et eius Capitis, iudicanda tradunt populo, qui ea et iudicet et pro lubito dissolvat. Quid autem veniat nomine populi, iam vel bardioribus experientia liquet. Audaciores nempe et callidiores populi nomen usurpant,

(1) *Essai sur l'indiff.*, ecc., tom. I, c. XII, p. 173.

illius exaggerant iura sibique tribuunt et in proprium commodum convertunt. En historia omnium commotionum politicarum. Rebelles consistunt, semel ac potestatem adepti sunt et libere rem populi contrectare possunt. Sicque administri in dies mutantur, quia multos urget rei publicae appetitus, et qui eam degustant nunquam dicunt: *Satis*. Ingluviem politicam nulla medicina sanat.

Sed et abigeamus terriculamentum huiusce potestatis indirectae in temporalia politica, dicamusque potius, et vere erit dictum, cum I. A. Blanchio et I. Marchetti, Pontifices exercere tantum iurisdictionem stricte spiritualem (1). Eadem, mutato nomine, perseverat substantia. Retrahamus et formam, si nimis terreat adversarios, qui dum nomina reformidare se ostendunt, nova nomina cudunt vel potius antiqua refricant ad commovendam terram. In principes et imperia non exercent Pontifices nisi spiritualem iurisdictionem. Si illi sint catholici, Romanae Sedi eos subiici necesse est quoad fidem et mores de necessitate salutis. Eorum vita privata et publica iudicio clavium est supponenda. Anne principes, qua tales, exhibere non possent rationem peccati etiam in actis vitae publicae? Porro ratione peccati gubernatores populorum subesse iudicio clavium, certissimum est et alibi iam satis docuimus (2). Asseres tamen, quae ad reipublicae administrationem attinent,

(1) Bianchi G. A., *Potestà della Chiesa*, ecc., tom. I, lib. III, sub initio, et Marchetti, *Della Chiesa*, ecc., tom. III, p. III, pag. 290 e seg.

(2) V. *Beatrice o Scienza teolog. di Dante*, ecc.

eadem temporalia dicenda, non spiritualia, proindeque a clavium Petri iurisdictione exempta. Sed an in administratione publica peccari non potest? An non offenditur quandoque iustitia? Demta autem iustitia, quid sunt regna nisi latrocinia? De his autem iudicare, non pertinebit ad eum, cui dictum est: *Quodcumque ligaveris... quodcumque solveris?* Porro, si erraverit moderator reipublicae in eadem administranda, nonne subest potestati clavium in foro poenitentiali? Immo et in foro externo, ut post laudatum Blanchium etiam Marchetti admittit (1), legibusque Ecclesiae coactivis. Sane Christi Vicarius non solum determinat, quae sunt fidei, sed etiam quae sunt bona, iusta et aequa, et e contrario prava reprobat et iniqua. Conditor legis, quae est supra omnem legem civilem, vel illius falli nescius interpretator ius habet reprobandi et in foro externo actus publicos, ab illa lege, vel suprema, vel utcumque religiosa, dissentaneos. Omnis terrena potestas catholica subditur potestati Petri, non solum quoad hoc iudicium ethicum, sed etiam quoad poenam spiritualem. Quid rationabilius? Quia magis delinquit princeps, quam privatus, eximetur a gladio Petri? Nemo sanus inficias iverit; potentes enim potenter tormenta patientur. Neque in regno Christi distinguitur rex a subdito, nisi quia ille gravioribus urgetur muniis. Certe potest R. Pontifex et hunc eximere e corpore fidelium, eumque evomere ut ethnicum et publicanum. Quod si iudicio anathematis colligata sit ex lege regni aliove titulo amissio throni, quid inde?

(1) V. scripta sup. indicata.

Hoc fit per accidens, estque consectarium actus iusti et legitime patrati. En clavis ad aperiendos varios pontificum actus aetate media completos, qui sunt ordinis mere spiritualis, licet ut temporales traducti et acriter censura notati.

Dictum fuit, Bonifacium in illa Decretali thesim suam confirmare textibus evangelicis ad rem non facientibus, omnique proinde vi probandi destitutis. Fateor equidem, Romanum Pontificem sententiam adducere duorum gladiorum ad probationem magis quam ad explicationem et illustrationem doctrinae duarum potestatum, eumque etiam in illis aliquid inesse momenti deprehendisse ad thesim suam firmandam. *In hac enim*, ait s. Pontifex immediate antea, *eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur.* Et illico transit ad factum duorum gladiorum (Luc. XXII, 38). Num interpretatio mystica s. Scripturae quidquam valet in certamine apologetico, in dogmaticis disputationibus? Praemitterem ante omnia, infallibilitatem doctrinalem s. Pontificis consistere posse etiamsi unum ex multis argumentis ad probandum claudicare contigerit. Non enim ad partes accidentales decreti infallibilitas pertingeret, sicuti in supremi iudicis sententiis decisio auctoritatem legis assumeret, non adductae rationes. Si vero, apposite Billuart, Pontificum rationes necessariae non sunt, ne dicam aptae, probabiles, idoneae, in his nihil est videlicet immorandum (1). My-

(1) Penes Bianchi O. P., *De Constit. monarch. Eccles.*, quest. II, cap. I, § 5.

sticae interpretationes vim non assumunt argumenti theologici, quoties tantum a pia derivant scribentium phantasia. Bonifacius autem in hoc argumentandi genere praecursorem habet, non Pontificem, sed magistrum censoremque pontificum, non Italum, sed Gallum, concivem non pontificum, bene vero Philippi pulchri, Nogaretii aliorumque pontificibus adversorum. Et sicuti Bernardus Clarevallensis (is est enim de quo loquor) ducem habuit in hac expositione Goffridum Abbatem Vindocinensem, ita Bonifacius alios Pontifices etiam habuit imitatores. Si pontificibus, suarum praerogativarum assertoribus, est fides habenda, testante Bossueto ipso, cur non credimus Bonifacio? Nonne quia mysticis indulget interpretationibus? Tunc vero nec credes Gregorio M., neque Innocentio III, neque aliis pontificibus, qui media floruerunt aetate. Sinantur itaque Bonifacio duo gladii, eo magis quod eorum alter dirigitur tantum ab Ecclesia, non autem eximitur et tractatur, ut ipse conceptis verbis affirmat. Non exsuscitentur irae Ghibellini Vatis in Bonifacium aliosque Pontifices fortissimos, qui contra abusus vis materialis libertatem christianae conscientiae iuraque Ecclesiae tuiti sunt. Ipsi enim Pontifices luctati sunt, ut regnum Christi magis agnoscatur in terris et in facta traducatur. Fiat, fiat!

Quidquid autem sit de potestate seu hermeneutica seu theologica sensus nuper expositi, qui an allegoricus an mere accommodatitius sit dicendus non moror, puto attendendum potius esse doctrinae s. Bernardi quam interpretationi textus, quam exhibet. Clara autem doctrina eius, nec absona ab illa Bonifacii. « Si nullo modo, sic

Bernardus, ad te pertineret et is, dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus satis est, sed nimis est. Utrumque ergo Ecclesiae, et spiritalis scilicet gladius, et materialis: sed is pro Ecclesia, quidem ille vero et ab Ecclesia exerendus: ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et iussum imperatoris.» Huic perspicuo textui ex libro IV, cap III, *De consid.* eruto si alter addatur ex ep. LVI et tertius ex ep. CCLVI ad eundem Pontificem Eugenium missa, mens s. Doctoris sole clarior elucescet. Quod si nubecula remaneret, diffugeret utique collatione facta cum capite II libri ad milites templi et cum sententia Iohannis Sarisberiensis, qui in *Polycrat.*, lib. IV, c. I, sic ait: *Hunc ergo gladium de manu Ecclesiae accipit princeps, cum ipsa tamen gladium sanguinis non habeat. Habet tamen et istum: sed eo utitur per principis manum.* Horstius vero, qui doctrinam s. Bernardi explicat et probat, refutat theologos et canonistas aulicos omnium temporum; profert epistolam Gregorii IX ex editione Vossii; solvit apparentem antilogiam ex libro IV epistolarum s. Petri Damiani; adducitque pro re sua Glossam in cap. *Unam Sanctam*, Baronium ad annum 1053; nec non Sixtum Senensem, *Bibl.* Adnot. 52, ubi Calvinum refutat et Lutherum (1). Ponit Bossuetus, Bernardum in recitato loco Evangelii Lucani *pie ludentem*, cui tamen serio adhaeserit Bonifacius. Sed de quaestione hermeneutica dictum satis superque, sicut etiam de

(1) V. s. Bernardi Opera, tom. I, Venetiis, 1765. Hanc interpretationem memorant Maldonatus, Lucas. Brug., aliique.

doctrina in verbis contenta et Pontificis et Doctoris. Supra vim materialem in eo repositam, qui non sine causa gladium portat, eminet vis moralis, apud eum sita, cui dictum est: *Pasce agnos et oves.* En ordo a Mellifluo Doctore adumbratus: quo fit, ut gladius materialis quodammodo etiam pendeat ab eo, qui eum ex vitae instituto non tractat. Atque hoc innuit ius, quod possidet Ecclesia ut defendatur a potestatibus christianis, ius et officium quo pollet dirigendi civiles rectores visque publicae depositarios per viam iustitiae. Qui istud iuris repellere vellent ab Ecclesia eiusque Capite, ii sane libertatis conscientiae vero sensu intellectae sunt hostes infensissimi, velut qui spiritum materiae subiicerent.

Hi profecto vim iuri, aurum veritati, utilitatem iustitiae anteponunt: hi non credentes Ecclesiae eiusque Capiti, ferreum inaugurant *despotismum* vel unius voluntatis vel unius sectae, quae dominium usurpaverit numeri in conventu aliquo, qui referat vota audaciorum independenter a iustitia et veritate.

Bossuetus, ut vidimus, Concilia eximit ab exercitio indirecto potestatis temporalis in principes, vim faciens et verbis et factis ipsis significantioribus quam verba. Vincentius Palmierius eodem *directe* tendit, sed alia incedens via. Quomodo ergo purgat Concilia, dum interim Pontifices tradit irreparabili reprobationi? Num illi pondus et pondus, mensura et mensura; quod abominatur Dominus? Idem ne iudicium erit iniquum in pontificibus, innocens in Conciliis? En itaque secretum apologeticum. Iudicabant Concilia, ut comitia politica. Sagacius inventum, quam verum. Ita ne comitia politica

Concilium Lugdunense primum, itemque secundum? Concilia oecumenica, ex episcopis totius orbis catholici collecta, quodnam ius imperii et mere politicum in principem determinatae ditionis possident? Quomodo potestatem politicam in eum exercebunt, cuius ne sunt quidem concives vel subditi? Quando neque integra defenditur veritas vel iustitia, tunc profecto in absurda lapsus fiet. Aliquibus Conciliis nationalibus mediae aetatis inesse quidem poterat obiectum mixtum, religiosum nempe simul et politicum, quod etiam apparebat in Capitularibus Regum Francorum, quibus Clerus hospes non erat. Sed quomodo episcopi, e diversis locis diversisque imperiis profecti, in unum politicum, et irrequisitis laicis rectoribus, poterant convenire? Auctori remittimus solutionem problematis (1).

Doctrinam Bonifacii in Decretali *Unam Sanctam* iamdudum obsolevisse arbitrantur Bossuetus et alii, nempe a Clemente V auctore alterius quae incipit: *Meruit*. Sed, si bene attendas, hancque conferas cum illa, plane videbis, Clementinam expositionem potius quam abrogationem continere Bonifaciani decreti. Sane hoc in malam partem iniuria trahebatur, et Clemens ad genuinum suum sensum reduxit illud. Officium videlicet interpretis potius egit, quam legislatoris. Hinc merito asserere potuit, per Bullam *Unam Sanctam* regem, regnum et regnicolas non esse amplius Ecclesiae Romanae subiectos, quam antea exstiterint; omnia intelligenda perseverare in eodem

(1) *Analisi ragionata*, ecc. tom. VII, Contin. d. dissert. VIII, cap. 2.

statu, quo erant ante definitionem praefatam, tam quantum ad Ecclesiam, quam etiam ad regem, regnum et regnicolas superius nominatos. In hisce verbis, qua profert Bossuetus ipse, quis videat formam abrogationis potius quam interpretationis? Si Leo X, teste eodem, illam renovavit absque tamen praeiudicio declarationis Clementis V, quae incipit *Meruit*, probat satis superque illam eamdem nunquam fuisse abrogatam. Quomodo enim Leo renovasset Constitutionem iam abrogatam et sine praeiudicio alterius, nempe abrogantis? Sed omni difficultati occurritur, ubi advertatur Clementem non implevisse nisi officium hermeneuticum. Verbo: Leo Papa renovavit Decretalem *Unam Sanctam* iuxta interpretationem authenticam, quam tradidit Clemens successor Bonifacii.

Dictum est etiam, Clementem abrogasse aliam Decretalem Bonifacianam incipientem *Clericis laicos*. Bonifacius sub gravibus poenis vetabat ne tributis gravarentur a laicis clerici, neve isti solvere praesumerent absque Sedis Apostolicae auctoritate. Hoc erat immunitatis genus valde commune in historia sacerdotii penes varios populos, ipsosque Iudaeos. Dixerit nemo, Bonifacium in illa praescriptione doctrinam dogmaticam vel moralem offendisse. Reducta quaestione ad prudentiam practicam, ad quam usque non extenditur pontificalis infallibilitas, in ea non immoramur, praesertim quod ignoremus temporis et loci circumstantias, nec non cleri respectus ad principes, qui Ecclesiae bonis uti poterant contra Ecclesiam ipsam. Tantae nequitiae capax erat Philippus Pulcher. Quod autem Clemens censuerit, temperandam

esse Constitutionem Bonifacii, nemo miretur. Causae necessitatis et patriae caritatis interdum se produnt, quae prius aberant vel fortasse latebant. Non erat quaestio de iustitia absoluta, quae non exigit, ut tributis onerentur possessiones spiritualis militiae.

Mordere non desinit Bonifacium Bossuetus ob hermeneuticam biblicam, qua thesim suam confirmat de superioritate auctoritatis spiritualis. Hanc dicit interpretationem *omni absurditate maiorem*, ineptam contra Manichaeos aliosque haereticos; huius non inveniri fundamentum in textu sacro, in versionibus tam veteribus quam neotericis; quasi *accommodatitius* sensus non erueretur potius ex rerum analogia (1). Hac methodo Meldensis episcopus exegesim et s. Thomae et omnium mediae aetatis interpretum configeret. Scilicet Bonifacium arguit quod ad supremum iudicium s. Pontificis illud transferat Apostoli: *Spiritualis homo a nemine iudicatur*, quum hic sit non Papa sed christianus quilibet, qui Deo per Christum in spiritu serviat, vel quod ad duo refellenda principia adhibeat illud: *Non in principiis, sed in principio fecit Deus coelum et terram*, aut tandem quia hanc allegationem anti-manichaeam extra locum proferat, quum non agatur de duabus potestatibus tam supremis, ut a Dei non pendeant providentia. Pace tanti viri, non ideo deridendum puto Bonifacium. In cuius discursu secernere velis, ut iam fecimus, argumenta theologica a sensibus merae accommodationis, explanationes a parte nempe meri ornamenti et decla-

(1) *Def. Declar.*, part. I, lib. III, cap. 24.

rationis. Has si plus aequo urseris, non eris discretus iudex. Non quaeras itaque, an hae biblicae expositiones sint originales in hoc decreto. Sed cogita, adhibitas esse ad verum adumbrandum maximi momenti. Profecto si potestas civilis in christiano imperio se ita supremam existimet ut nunquam velit ab ecclesiastica lumen recipere, orietur in christiana societate lamentabilis antagonismus et civile imperium nunquam se extricabit a limo terrae a quo ortum est. Contra Ecclesiam insurgens, sortem obibit, quae contigit Babelicae turri contra coelum erectae.

CAPUT XV.

PATRIMONIUM ET OBOLUS S. PETRI.

Ecclesia pauperrima Christi sponsa, Crucis testamento spirituali ditata, eget tamen materiali patrimonio, quo sui Capitis nec non fidelium indigentiis, tum spiritualibus cum temporalibus praesto sit. Collegium Apostolicum enim loculos possidebat quibus propriis subveniebat necessitatibus; et tempore Pauli collectae fiebant in Ecclesia ad auxilium fratrum egenorum. Hae vero oblationes et Collectae Romae viam debent arripere, utpote quae centrum catholicae unitatis, omnium Ecclesiarum persentit necessitates, sicuti omnes corporis dolores ad cor surgunt. Optime ergo prospexit Providentia, dum Ecclesiae Romanae stabile procuravit patrimonium, etiamsi in se impar omnibus totius Ecclesiae succurrendo neces-

sitatibus. Hinc est quod necessariam legitimamque se prodat origo oboli s. Petri, cui solvendo principes et populi se tam sollicitos praebuerunt. Nec minus, quam necessaria et legitima, fuit antiqua et veluti ipsi patrimonio s. Petri coaeva. Iam enim ab anno 740 exortum in Anglia, ut refert Baronius, hoc filialis pietatis et reverentiae tributum, in aliis dein regnis acceptum fuit, ut in Polonia, Dania, Hispania, Italia, aliisque regionibus. Huiusce devotionis filiorum laudabile etiam reliquerunt exemplum Gallicani episcopi iam ab anno 1164. Nunquam enim fiet, ut liberi recte instituti in Ecclesia catholica sint deserturi Patrem amantissimum et universalem.

Temporale dominium Providentia sanctae Sedi annexuit, tum ut magis libera et expedita evaderet in spirituali cura exercenda, tum etiam ut materialibus eius egestatibus obviam iret. Ubi enim supremi Pontificatus adversarii et quidam pusilli catholici vident vel se videre putant impedimentum et onus in rebus spiritualibus gerendis, ibi nos agnoscimus auxilium, non absolutae sed relativae necessitatis moralis. Necesse enim est, ut Rector Ecclesiae universalis non modo sit liber et solutus ab omni terrena potestate, verum etiam ut talis videatur et appareat omnibus catholicis cuiuscumque regni. Talis autem erit et apparebit omnibus, si in ditione permaneat alterius, sive regis absoluti, sive gubernii a tripartita potestate, sive reipublicae. Gubernia cuiusque formae, rectores et re athei et nomine catholici saepe Ecclesiam vexarunt, autonomo licet perstante eius Capite. Quid agerent, hoc degente sub mendaci eorum protectione? Sed haec quaestio, quam alias ubertim

pertractavi, in iure solvetur a Concilio, in facto autem a Providentia, quae nunquam suae deerit Ecclesiae.

Decrescente igitur, immo penitus sublata omnium .momentosissima dote et pene necessaria ut panis quotidianus, nam etiam de pane vivit homo, oportet ut tributum amoris in fidelibus augescat per obolum s. Petri. Non ideo mirum, si Concilium Vaticanum oecumenicum post agnitum Providentiae factum iusque, a tot retro saeculis confirmatum, temporalis dominii, B. Petri obolum commendaret tamquam providam opem solamenque in adversis et tempestivum subsidium in tot, quibus Romana Ecclesia premitur, necessitatibus. In Capite egeno omnium fidelium necessitatibus subvenitur. Et sicut, capite dolente, caetera dolent membra, ita eo refrigerium accipiente, et caetera refrigerari dicendum est.

Oblatio itaque oboli sancti Petri magnopere est inculcanda tunc maxime, cum sancta R.ª Sedes tempestatibus iactata, vel suis expoliata possessionibus, non habet unde sibi aliisque succurrat. Dixi aliis; quod enim donum tribuitur Patri diffunditur in filios, ut unguentum quod a capite Aaron descendit usque ad oram vestimenti eius. Sanguis est, qui per totum diffluit Ecclesiae corpus, illudque roborat et vivificat: thesaurus est, per quem Vicarius Dei totius consolationis omnes tribulatos exhilarat et moerentes corde. Proditoris discipuli imitatores dicent optandum magis, ut fidelium aromata in solatium pauperum impendantur, quam ut ad pedes effundantur Vicarii Iesu. Hypocritae tristes, qui Iudae scholam habent pro Evangelio! Hisce detractoribus christianae pietatis apte posset Vicarius Crucifixi reponere:

Quid molesti estis filiali charitati? Pauperes semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis. Vel potius: Mihi subveniendo Patri pauperum subvenitis. Aureae charitatis est opus, maximeque promovenda est oblatio nummi Petrini, dignaque ut ample spiritualibus stipendiis retribuatur. Quamquam, si cum tali favore exciperetur, fortasse redivivus aliquis Lutherus inflatis buccis clamaret, magnum indulgentiarum aerarium repositum esse Romae, ibique liberum spiritualium et temporalium rerum commercium agitari. Caute igitur et in bono promovendo est incedendum coram hominibus diabolico lacte pastis. Ceterum solutio oboli apostolici favore Papae in angustiis positi actus est suapte natura educativus, cui parentes probe curarent, ut filii assuescant. Viscera enim misericordiae induere ita discent erga Patrem catholici orbis. Sicque hisce pietatis officiis se se exercentes, percipient rationem succurrendi necessitatibus parentum suorum. Sciant immo filii, parentes sui suos filialis pietatis officium praestare universali Patri, eique identidem obolum catholicae reverentiae praebere. Filii enim, dum fortasse ignorant, quomodo parentes erga proprios genitores se gesserint, satis discunt ab eorum exemplo pietatem filialem, dum eos effusos cernunt erga communem parentem. A patribus erga pauperem liberales discent christianam liberalitatem; a patribus vero, qui in nomine Christi suscipiunt adiuvantque eius Vicarium, discent religionem, iustitiam, charitatem.

Solvite igitur, o patres familias, dulcissimum hocce tributum: ipsum enim constituit imitabile exemplum

familiae vestrae, non attenuabit divitias vestras, sed implebit horrea vestra. Nolite extimescere, ne sit desiturum argentum charitati vestrae; et mementote, Petrum invenisse drachmam pro sacro tributo templi. Non amittitis quod in Petri gazophylacio reponitis. Qui enim recipiet a vobis, nempe Christus in persona sui Vicarii, ipse dabit vobis continuo et affluenter *mensuram bonam et confertam et coagitatam*, etc.

Ceterum de temporali s. Sedis gubernio, quod tot tantosque sustinuit a saeculo VIII ad XIX hostiles impetus, illud dici merito potest: *Multa renascentur, quae iam cecidere cadentque*. Concidunt imperia, concidunt dynastiae, et non vident diem resurrectionis suae. At papale sceptrum regium toties resurrexit, quoties decidit. Ipsum enim innixum est principio ab omnibus catholicis admisso; principia, pereuntibus hominibus et familiis, aeternum durant. Iam error clamantium insociabiles esse in Capite etiam Ecclesiae duas potestates, protritus fuit in Constantiensi synodo, sess. VIII contra Wiclefum: iam congruentia ac moralis pene necessitas huiusce patrimonii s. Sedi annexi recognita est ab ipsis Pontificibus, a Conciliis, quorum instar memorabo provinciale Rhemense anni 1849 tit. 2, atque a cordatioribus Protestantibus omnium regionum, quorum testimonia, a Leibnitio usque ad Guizotum, protuli (1). Nec

(1) Protestantes multi, ut regnum temporale, ita et infallibilitatem R. P. propugnant, ut iam vidimus. Adiiciemus nunc testimonium R. diarii angli *The spectator*, calamo haeretícali exarati, cuius verba refert aliud a catholicis scriptum dictumque *Tablet*. *L' Osservatore cattolico* Mediol. et *l'Unità cattolica* Taurinensis die 21 septembris 1870 hoc referunt.

dubito, quin similis declaratio a Concilio oecumenico sit proditura, si Ecclesia sua fruatur libertate, quam tantopere diabolus oppugnat sub larva spuriae libertatis, qua fruitur tantum daemon erroris et peccati. Quando vero s. Pontifex, de cuius triumpho dubitare piaculum esset, recuperaverit dona maiorum, iuxta vota populorum, tunc requiescere poterit charitas filiorum moerentium ob egestatem Patris.

Sed dum haec sensa iam concesseram praelo, exploduntur tormenta bellica, et moenia Urbis sacrae, almae Hierusalem, ubi recondita est arca Dei viventis, ab ortu, a meridie, ad aquilonem perforantur, vique et armis capitur orbis catholici princeps plena populo, iamque facta est sub onerosissimo tributo. Quis non clamet cum R. Psalte: *Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam?* Quis non metuat, ne polluatur templum sanctum Domini, ne comedatur Iacob et desoletur locus eius? Quis non oret, Deum dicens: Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum? Re enim vera gubernator Ecclesiae suam omnem libertatem amisit. Iam non poterit rusticari, immo basilicas suas invisere vel ire deambulatum, vel aestivam mansionem repetere, quin fines transiliat sibi relictae metropoleos. Non poterit monita patris mittere ad filios catholicos, documenta fidei communicare ovibus et agnis, quin placitum reportaverit gubernii athei, quod tamen separationem depraedicat potestatis civilis ab Ecclesia. Non poterit prosequi Concilium oecumenicum eiusque publicare decreta, non functiones sacras praescribere et exequi per totam almam Urbem, habere processiones absque venia aucto-

ritatis politicae illius gubernii quod non se obtulit solum, sed armis, ruinis et cladibus se imposuit protectorem. Sed quae protectio, bone Deus! Romae occupatio dicebatur necessaria occupanti, quasi pacificus Rex Italiae securitati strueret insidias. Occupatio tamen et protectio convertitur in protecti expoliationem eiusque gubernii destructionem. Sicque mox Pontifex videbit imperium legum athearum in alma Urbe, matrimonium legale absque religionis interventu, clericos obnoxios armatae militiae; Regulares proscriptos atque ad egestatem redactos; praelatos et Eminentissimos deductos ad incitas; sublatum ius dicendae iustitiae, administrandi rem publicam, urbisque regundae. Vis obruit omne ius, omnesque supplet titulos. Pontifici tamen dona promittuntur, ut Iesu infanti munera detulere reges Orientis. Sed quae vis promissorum? Qui Urbi vim intulerunt, ut turbulentioribus factiosis placerent, deerunt pollicitationibus, ut hos servent amicos. Deinde quinam aggressores Principatus pontificii? Iam verissime responderunt homines haud suspecti, ut Paulus Sarpius et Fridericus II rex Borussiae, qui aiunt Pontifices, quemadmodum et regulares, victimas evadere guberniorum, quae dissipaverunt omnem substantiam pascendo luxoriosos et fame canina laborant.

Vita vero functo Pontifice iam aetatis valde provectae, quaenam erit libertas conclavis in eligendo successore? Vel saltem hanc putabunt ne existere catholici totum dispersi per orbem? Verbo: Ecclesia in hisce constituta salebris non poterit suum prosequi Concilium, et nescio quomodo novum sibi constituere caput possit. Non autem omnino spe dejicimur, fidentes in Domino, qui dissipat

consilia gentium, reprobat cogitationes populorum et consilia principum. Scimus, non salvari Regem per multam virtutem, et fallacem fore equum ad salutem; scimus oculos Domini in metuentes eum, ut eruat eos in die mala. Papatus insita vis moralis, quam agnoverunt etiam Bailius, Voltairius; saeculorum christianorum experientia, quae docet nos, Romae solos Pontifices regnasse et brevibus solum intervallis caput extulisse rempublicam, nobis bene sperandi vires addunt. Etiamsi ergo, quod Deus avertat, Pontifex merito dictus *Crux de Cruce*, in terra exilii obierit, vel minus liber in sua Sede, nos de successoris triumpho non dubitabimus

CAPUT XVI.

EPISCOPALIS IURISDICTIONIS ORIGO, MODUS ET CESSATIO.

Quia mihi propositum non est disserere de ecclesiastica hierarchia et de singulis eius gradibus, ideo mittam, quae de episcopis sunt magis nota minusque ingerunt difficultatis. Neque etiam requiram, unde enascatur episcopalis iurisdictio, an scilicet immediate a Deo, an vero mediate per R. Pontificem. Ab hac dirimenda quaestione abstinuit prudenter Tridentinum, et libentius theologus ab ea pertractanda abstinebit. Mihi interim placet constituere, episcopum in consecratione recipere potestatem ordinis, nec non aptitudinem ad iurisdictionem recipiendam, quae exerceatur in territorio a R. Pontifice assignando, vel potius iurisdictionem *in habitu*, non pro tota simul Ecclesia (hoc enim pertineret tantummodo ad episcopatum universalem, qui est unius s. Pontifi-

cis), sed pro tota Ecclesia, hoc sensu ut ei possit assignari quodcumque particulare territorium in orbe catholico. Episcopus autem potestate ordinis et inchoata iurisdictione tantum, ut dixi, instructus, potest ut iudex sedere in synodo oecumenica, sicut ius habet sedendi etiam episcopus *in partibus*, qui iurisdictionem habitu possidet, sed defectu subditorum illam nequit ad actum proximum adducere. Non ita de vicario capitulari, qui licet iurisdictione dioecesana intra certos limites et ad determinatum tempus instructus, charactere tamen episcopali non honestatur. Frustra igitur quis optaret ei sedem in concilio cum suffragio (1). Actus itaque, per quem quis accipit plenam iurisdictionem episcopalem, non est electio, nec principis vel gubernii propositio, nec item consecratio, omnes enim hi actus et personae, quae in his se ingerunt, non possunt esse fontes iurisdictionis episcopalis. Huius radix et fundamentum est confirmatio R. Pontificis. Quae, ut communius contingit, praecedit ipsam consecrationem, at quandoque subsequitur interdum, quando nempe episcopus transferatur de una sede in aliam.

Confirmatio tamen non est id totum, quod requiritur. Extat enim Iulii II constitutio, qua cautum est, ut qui episcopatum adepti sunt in Curia Romana, literas apostolicas intra annum debeant impetrare atque ante eas impetratas ecclesiae administrationem suscipere nequeant. Quae sane dispositio eget explicatione, maxime quoad eius applicationem singulis casibus. Ea scilicet non re-

(1) Votum decis. denegatum est a Tridentino etiam procuratoribus episcoporum ut narrat Card. Pallavicinus lib. VI, cap. 2.

trahit iurisdictionem, quae iam per confirmationem transivit in electum; sed tantum suspendit eiusdem exercitium quoadusque adimpleta fuerit certa conditio. Sed pone hanc facti speciem, quae omnino se se obtulit anno 1867. Tunc enim pluribus Italiae sedibus vacantibus consultum est, pluresque episcopi de una in aliam translati dioecesim. Uno eodemque actu consistorialis propositionis et subsequentis decreti Pontificii factae sunt mutationes in sedibus. Nempe una eademque viduatur suo pastore et accipit alterum uno eodemque temporis momento. Quumque uno eodemque actu contigerit et vacatio et provisio sedis, magis idealis quam realis exsurgit viduitas, proindeque capituli iurisdictioni, quod vacante sede per vicarium administrat, non fiet locus. Quis autem administraverit, dum novus electus nondum literas apostolicas est consecutus? Non is profecto qui est ad aliam translatus sedem, neque capitulum, quum vacatio dioecesis per punctum tantum mathematicum perduraverit. Reliquum est igitur, ut novus electus vel ante literas apostolicas administret per suum vicarium. Electio vicarii capitularis mihi videtur actus irritus. Ita quidem in casu concreto sentiebam; et a R. Curia fuit etiam hoc sensu responsum.

Rectissime quidem agitur hic de apparenti legum conflictu, qui statim diffugiet cum artis hermeneuticae subsidio. Sane ut dioecesis vacat, semel ac ab ea translatus episcopus in consistorio proponitur; ita eadem fit iterum plena eodem instanti quo successor proponitur (1).

(1) V. Rigantii, *Comment. in Reg.* 2. Cancell., § 3.

Quare si praelatus *a qua* nequit amplius post illam consistorialem declarationem se immiscere in gestione rerum dioecesanarum, nec se immiscere debebit capitulum, quia nulla vacatio nisi quae per horae exiguum momentum perduraverit, quod intercedit inter translati et successoris propositionem in eadem consistoriali sessione. In hoc temporis intervallo, vix sensibus pervio, numquid declarari potest vacatio, eligi capitularis vicarius, aliquis iurisdictionis actus compleri? Sed quia nullum debet apparere punctum temporis vacuum a iurisdictione eiusque possibili exercitio, hinc illa et hoc pertineant necesse est ad episcopum successorem. Obstant tamen, ut tibi videbitur, constitutiones pontificiae Bonifaci VIII et Alexandri V, ad quas provocat Iulius II in bulla *R. Pontificis*, quaeque omnes vetant ne episcopus, utut confirmatus, se immisceat in gestione rerum suae dioecesis, nisi postquam receperit litteras apostolicas easdemque capitulo communicaverit. Hic opus est epicheia, quae melior, immo unica via tenenda. Attendendum, potiusquam litterae legis, eius scopo et philosophiae. Quare emanavit Iuliana constitutio? Ad tollendos abusus aliquorum praelatorum, qui volebant sibi credi super provisionibus sine literis, et sua auctoritate, malo more, concutiebant collegia ad se recipiendum. Hinc Extravagans, qua de agitur, nequaquam applicatur cardinalibus S. R. E., quibus inconveniens nimium ratio peractae dispositionis (1). Quidni inconveniens erit pro speciali facti specie, quam pertractamus? Agitur de tollenda incerti-

(1) Lotterius, *De re benefic.*, lib. I, Q. 27.

tudine iurisdictionis, quando desinere incipit in translato, nec potest transire in capitulum defectu vacationis. Si poneretur vel in primo perdurare vel in secundo incipere, id nimis abnorme foret a regulis iuris. Dicenda potius in casu concreto non obligatoria lex merae cautelae. Post actum autem consistorialem, qui annuntiatur in universo mundo per ephemeridem officialem s. Sedis, vix possibilis cogitari potest fraus illa, ad quam praecavendam Iulius II post alios animum intendit. En solutio difficultatis, quae in quibusdam dioecesibus italicis se obtulit post consistorium habitum 1867. In hoc singulari casu videtur derogatum praefatis constitutionibus vel dispensatum ab illis; proindeque vicarius episcopi translati egeret confirmatione successoris, etiamsi nondum apostolicis literis communiti.

Exercet vero suam iurisdictionem episcopus per se vel per suum vicarium. Non inconsulto numerum singularem adhibeo: perplacet enim mihi mos Italiae, ut unus constituatur vicarius in se uno recipiens administrationem rerum spiritualium simulque contentiosam iurisdictionem. Hancque italam consuetudinem, magis unitati regiminis consentaneam, sequitur Tridentinum, quod officialem et vicarium sumit pro eadem persona et promiscuo nomine donat vicarium capituli sede vacante (XXIV, 16 de R.). Ita enim magis unitati, concordiae et ordini regiminis consulitur; ita magis promptae ac regulari negotiorum expeditioni prospicitur. Unus episcopum repraesentat et potest fere omnia ac ipse quae sunt iurisdictionis. Unus executioni mandat indulta pontificia; unus, verbo, melius repraesentat episcopum

unum. Ipse s. Pontifex unum habet cardinalem vicarium in urbe, plures vero alios secretarios in regimine totius Ecclesiae. Ast curarum multitudo plures exigit cooperatores. Esto quidem; sed hos nonne seligere poterit ipse vicarius, qui sibi auxilientur et pareant? Et istud efficere poterit etiam, quando, ut contingit interdum, ipse solus artem non calleat voluntariam et contentiosam iurisdictionem simul exercendi. Unitas imperii et directionis tunc melius explicatur. Alicubi tamen plures constituuntur vicarii vel in solidum, vel divisis officiis, ut plerumque in Gallia, ubi vicarius pro administratione spirituali, et officialis deputatur causis expediendis. In hoc secundo casu officia apparent satis distincta et difficilius oritur iurium collisio. In primo vero eius antefertur potestas, qui prior negotium aliquod occupaverit. Electio secundi vicarii in loco, ubi unus tantum solet constitui, est tacita dimissio prioris, ni tamen aliud fuerit in actu expressum (1).

Ita artem artium seu curam animarum in dioecesi gerit episcopus, donec vel per mortem eius, vel renuntiationem vel translationem vel canonicam remotionem vacans evaserit ecclesia dioecesana. Qua suo viduata pastore, capitulum succedit per breve tempus quo perduraverit vacatio, eamque exercet curam per vicarium quem tenetur infra octo dies eligere. In quo eligendo non doctrinae solum habeat rationem, verum etiam doctoratus, quem magnopere commendat Tridentinum (XXIV, 16 de Ref.). Est enim doctoratus testificatio doctrinae

(1) V. Leurenii, *Forum beneficiarium, Vicarius Episcop.* Quaest. 292.

et personae decus in pretio habendum. Sic etiam vis animusque adduntur ad studia excolenda. Vicarius non constituitur ad tempus, sed pro duratione viduitatis, nec removeri potest sine causa cognita et probata a SS. Congregationibus C. et RR. Quamvis autem capitulum in eum transferre debeat totam, quam possidet, iurisdictionem, ne minima quidem portione sibi retenta, eius tamen potestas quibusdam arctatur limitibus. Scias enim non posse illum per se quae sunt ordinis episcopalis, bene vero per exteros episcopos, neque ea, quae per delegationem pontificiam sunt uni episcopo concessa.

Vacatio insuper sedis est interregni simulacrum. Porro in interregno permissi tantum sunt actus conservationis et merae necessitatis, non quae minus urgeant vel detrimentum afferant sedi. Nihil innovetur itaque; nihil fiat quod ultra fines interregni excurrat, in quo minus libera actio, ut docent iuris publici tractatores. Ideo coarctatur vicariorum potestas in beneficiis conferendis. Hinc praesentante patrono, qui elapso termino a iure suo decidit, recte vicarius capitularis tradet institutionem (C. I, de inst. in 6). Est hic enim actus cuiusdam necessitatis. Dices vero, eum posse prorogare terminum. Sed quid si terminus expiret, sede iam repleta? Episcopus iure suo posset uti cum praeiudicio patroni. Non potest vero vicarius conferre quae sunt beneficia liberae collationis ad solum episcopum pertinentis (1). Talia, nostro iudicio, etiam parochiales ecclesiae. Sed harum collatio nonne urgens negotium est, expediendum etiam vacante epi-

(1) Cap. 2. *Ne sede vacante aliq. innov.*

scopali sede? Nonne longa beneficii curati vacatio vertitur ad perniciem animarum? Non video ego causam a regula communi recedendi. Vacationes sedium episcopalium sunt plerumque breves; nec grave praeiudicium infertur paroeciae, si vacans relinquatur usque ad sedis dioecesanae plenitudinem. Provisio alia ex parte paroeciae negotium est dioecesanum gravis momenti, quod summopere cordi est episcoporum. Horum idcirco relinquendum conscientiae; neque vicarius praesumat quidquam in dioecesi innovare, e. g. novum parochum constituendo absque urgenti necessitate. Haec videntur tenenda pro casibus ordinariis. In extraordinariis vero, et quando vacationes diutinae videantur futurae, alia incedendum via. Vicarius, si urgeat providendi licentia, petere hanc facultatem potest a s. Congregatione Episcoporum et Regularium, sicque praevenire opus episcopale.

Neque etiam vicarius capitularis non episcopus sedere potest cum iure suffragii in oecumenico Concilio. Deest enim ei ordo; et iurisdictio, qua pollet, nimis caduca est, atque intercidere posset durante ipso concilio per novi episcopi possessionem. Et tunc an ne duo simul in concilio sedebunt cum uno eodemque titulo eiusdem dioecesis? Aut vicarius, intrante episcopo, exibit de consessu Patrum? Sicque hodie ineptus, qui heri capax? Neque contra nos exemplum sumatur ab abbatibus et praefectis ordinum generalibus, qui et ordine episcopali carent et iurisdictione tantum interna pollent. Utrique enim sedent ex vi tantum privilegii pontificii. In privilegiis autem nequit argumentari ne a pari quidem, immo neque a maiori ad minus.

CAPUT XVI.

IUDICIORUM ECCLESIASTICORUM FORMA.

Ut Romanus Pontifex magister et doctor supremus est in universa Ecclesia, ita episcopi, quisque in sua dioecesi; non tamen supremi et ultimae, ut aiunt, instantiae. Supremum et irreformabile foret eorum iudicium, imo falli nescium, si edatur in Concilio oecumenico, probante Ecclesiae Capite. Methodus iudiciaria perantiqua est in Ecclesia. Neque aliter procedi poterat in dirimendis litibus, si inter clericos fervescerent, qui ad iudices laicos non poterant ire. Insolubiles controversiae sine elementis iudicii, quae sunt causa, actor, reus, iudex, citatio, testes, probationes; brevi, cuncta quae desiderantur ad litis diremptionem. Ecclesiae Patres et Concilia uno ore fidem faciunt servatae istius iudicialis formae, ut Chrysostomus, Ambrosius, Liberius papa, Socrates, Sidonius Apollinaris, Concilium Tarraconense I (1). Huiusce autem iudicialis formae elementum perantiquum et legitimum erant ipsae appellationes ad R. Pontificem. Quas quidem appellationes ad apostolicam Sedem non a falsis Decretalibus Isidori invectam, sed iam a Sardicensi Concilio confirmari, omnes norunt: cuius Concilii canones etiam in Oriente receptos esse,

(1) Chrysost. *De sacerd.* l. 3, c. 17; Ambros. ep. 5, Sidon. Apoll. l. 2 e 3 ep., Socrates, Hist. l. 7, c. 37; Conc. Tarrac. I, can. 4

fuit a doctis viris demonstratum (1). Iudicia ecclesiastica in essentialibus respondent formae a legibus Romanis traditae, ut nullo negotio demonstrari potest singillatim etiam instituendo comparationes (2).

Ecclesiasticae iurisprudentiae iudiciali semper praefuit haec suprema lex, nempe ut aeque noxia extrema pariter vitarentur, pariter timenda ecclesiastico iudici et civili, spirituali simul et temporali. Quare iudicia, quae ab ecclesiasticis fiebant, cursum exitumque celeriorem sortiebantur, quam quae a laicis haberentur, a quibus non aberant tricae ambagesque forenses. Sic iure canonico constare debebat, quis actor, quis reus, et quale ius ille haberet contra hunc, neque nomen actionis exprimendum erat in libello, quum sat esset, ut nosceretur ratio petendi. Sola aequitate ductae leges ecclesiasticae praescribebant, ut iudex solummodo rationem spectaret et facti veritatem, et cuncta simul rimaretur solerter. Certis insuper in casibus, ad longiores moras gravioresque impensas devitandas, testimoniorum numerum non relinquebant iudicis arbitrio, sed eidem limites assignabant. Abbreviandi tamen lites studium iudiciorum non afferebat praecipitationem. Nunquam enim erant sic contrahenda, ut possibilitas decideret inveniendae veritatis vel innocentiae defensandae. Hoc enim esset malum intolerandum. Sapienter enim Pontifex statuit Clem. 2ª. de V. S.: *Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes*

(1) V. Nat. Alex. *Hist. Eccl.* dis. 28 in saec. 4, Zachar. Antifebr. l. 3, c. 3; Marchetti, *Dei Canoni del Conc. di Sardica*, et fratres Ballerinios.

(2) V. Devoti, *Instit. Canon.* In doctis notis ad lib. 4, tit. 1.

necessariae et defensiones legitimae admittantur. Valde interest ut expectantes iustitiam non diffidant de maturitate iudicii, quae imo eis praestet securitatem plenam. Sed non minus refert, ut expectatio iustitiae longior evadat, quam res patiatur. Hinc pluries recedendum a consueta forma iudicandi, ne aut lis prolixius producatur, vel differatur negotium urgens, vel poena exemplaris. Duplici huic excessui, cunctationis nempe vel arbitrarii iudicii in praeceps effusi, obviam ire semper nisi sunt sacrorum canonum conditores. Formam enim invexerunt iudiciorum, quae ad detegendam veritatem ordinate conduceret atque ad legum romanarum normam exacta, eas opportune corrigeret, temperaret ac suppleret, non tamen semper serviret solemnitatibus in longum productis. Sic canonicum ius probat processus summarios, ut patet ex duabus Clementinis (1). Neque sine causis gravibus permittit vel praescribit canonica lex anomaliam compendiarii processus. Sunt autem hae causae rei tenuitas in litem deductae, necessitas litem dirimendi ob damna quae provenirent ex illius lento incessu. Laudata Decretalis *Dispendiosum* ad processus summarios refert electiones, postulationes, provisiones seu collationes, quotiescumque horum actuum validitas in dubium revocetur; insuper causas, quae referantur ad dignitates, personatus, officia, praebendas, beneficia ecclesiastica, si agatur de titulo, dein causas decimarum, usurae, matrimoniales et quae ad easdem attinent; tandem causas pauperum, pupillorum, viduarum, car-

(1) Decr. *Saepe*, cap. 2. *de Verb. signif.*, 5, 11, et eam, quae incipit *Dispendiosum* (cap. 2, *De iudiciis*, 2, 1).

ceratorum, omnes uno verbo illas, quarum remora vel privato iuri noceret vel ordini publico. Ex hoc probe inferri posset, absque piaculo tractari summarie utpote urgentes, quaestiones beneficiales, matrimoniales, quaeque sunt iisdem connexae.

Causae summarie tractatae, generatim loquendo, non admittunt appellationem, ac proinde ob hanc exclusionem, nec non solemnitatum recisionem, breviorisque morae assignationem, celerius expediuntur. Verum non solum iudiciis summariis, sed et alius deest quandoque appellationi locus cum magno temporis lucro: quando scilicet interposita videatur magis ad retardandum iudicium, quam ob instam causam; iudicia enim sunt cito ad exitum perducenda. Haud paucos casus, in quibus appellatio maxime *suspensiva* respuitur, videre poteris penes sacrorum Canonum interpretes (1). Nobis sufficiat adnotare, sacros Canones haud parum iudiciorum festinationi consuluisse. Adde etiam, eosdem permittere, ut illico fiat appellatio ad R. Pontificem, relicto intermedio; atque non plus unius anni, incipiendi a die interpositionis, relictum fuisse ad prosequendam appellationem eamque finiendam. Sic consultum fuit et securitati contendentium et simul iudiciorum brevitati.

Sed quid hic immoror? Si Ecclesia, ut tibi videbitur, iam abunde providit iudiciorum brevi et tutae formae, quid amplius expectabis a Concilio Vaticano? Audi et iudex esto. Sciasque primo, haec me meminisse, ut pro-

(1) V. Schmalzgrueber, *Ad ius Eccl. univ.* lib. 2, tit. 28, *De appel.*, ed. Rom. 1845; Bened. XIV, *Ad militantis* ecc.; Devoti, *Iuris can. univ.* lib. 2, tit. 28, tom. 3; item *Instit. Can.* tom. 3.

barem Ecclesiam in id animum intendere, ut iustitia non differatur sitientibus eam. Quomodo ergo parata non erit semper ad breviandam iudicii methodum, quoties id necessarium iudicabitur? Doctrina Ss. Canonum ideo memoravi, non ut ostenderem ab Ecclesia iam provisum esse hodiernis conditionibus, sed ut declararem, quo tenderent eius conamina. Ceterum quod iam antiquitus consultum fuerit hodiernis conditionibus et votis, asserere non ausim. Hoc tantum adderem, illam facturam esse rem ingentis utilitatis, si vel sola doctrinae capita superius tradita atque hic et illic sparsim iacta colligeret, illaque in unum corpus digesta sub uno conspectu et irrepugnabili auctoritate sua innixa proponeret. Iam properandis simul iudiciis illisque muniendis necessariis cautelis incubuerat Ecclesia: quod effectum est iure antiquo et illo, quod subsecutum est, Decretalium. Neque minus se perhibuit sollicitam in Concilio Tridentino, ex quo plura delibabimus ad rem facientia. *Sic ne remedio ad innocentiae praesidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur* rei criminum, qui plerumque ad evitandas poenas et episcoporum subterfugienda iudicia, querelas et gravamina simulant et appellationis diffugio iudicis processum impediunt, decernit s.ª Sinodus, ut in causis visitationis atque correctionis, sive habilitatis et inhabilitatis, nec non in criminalibus, ab episcopo, seu illius in spiritualibus vicario generali, ante definitivam sententiam, ab interlocutoria vel alio quocumque gravamine non appelletur; nec episcopus, seu vicarius appellationi huiusmodi, tamquam frivolae deferre teneatur, sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata, nec non omni

stylo et consuetudine etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere; nisi gravamen huiusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit. Hoc canone, a praecedentibus haud absimili, coercetur simul temerarius litigator et clericus praelato suo inobediens, dum interim fit locus innocentiae detegendae ac reparando gravamini (1). Item statuitur, ut causae ecclesiasticae, etsi beneficiales, in prima instantia ordinariis locorum dumtaxat relinquendae, terminentur saltem infra biennium a die motae litis; quo spatio inaniter lapso, licitum sit vel uni ex partibus ad iudices superiores, dummodo competentes, confugere, qui quantocius rem expediant. Reiiciendae appellationes, nisi a definitiva vel a definitivae vim habente, et cuius gravamem a definitiva reparari nequeat (XXIV de R. 20). Aeque rationabilis dispositio, quae occurrit litigantium malae fidei, simulque prospicit innocentiae et iustitiae iuribus.

Est tamen quaedam Tridentini lex, quae ordini iudiciali minus est consona et potestatem episcoporum; ut videtur aliquibus, non parum adauget: aio potestatem ferendi in clericos poenam suspensionis, non servato iuris ordine, sed ex *informata*, ut aiunt, *conscientia*. Statuit enim Concilium (sess. XIV, cap. I de R.), ut cui a suo praelato, ex *quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter* interdictus fuerit ascensus ad sacros ordines, vel fuerit inflicta suspensio ab eorum exercitio, is nulla licentia iuvetur aut resti-

(1) Sess. XIII, *De Ref.*, cap. I.

tutione iuris contra ipsius praelati voluntatem. Extraordinaria haec facultas, atque a regulari processu exorbitans, necessaria visa est ad disciplinae observantiam in Clero promovendam. Si enim antequam infligi possent disciplinares hae poenae expectanda esset revolutio canonici processus, atque sententia in prima, secunda ac etiam tertia instantia, disciplina corrueret, neque scandala tempestive praefocarentur. Pervicax reus quaereret omni astu impunitatem vel poenae ipsius dilationem, non sine clericalium morum iactura et fidelium offensione. Contingeret immo saepe, ut reus impunis evaderet ob defectum probationum iudicialium, non autem moralis persuasionis. Quod quidem esset non leve malum graviusque illo, quod oriretur ex supposito Ordinarii errore. Urget necessitas tollendi scandalum et vituperium ministerii, vel potius reprimendi pertinaciam criminosi clerici, et episcopus post sibi efformatum prudens maturumque iudicium de rei veritate facilius assequenda, quando adsit quoddam corpus delicti, gravis testificatio vel gravius indicium, decernit poenam mere disciplinarem et satisfactoriam. Nonne ad disciplinam militarem servandam dux subiicit poenae corporali etiam unius mensis accusatum militem? Quae quidem poena est illico sustinenda, quin suspendatur per interpositam appellationem. Dices, hic agi de poena brevi transitura, dum tamen suspensio ab episcopo lata saepe ad tempus extenditur indeterminatum.

Sed in hac facti specie innocens, iniuria percussus, non caret iuris remedio. Poterit clericus, ubi se immerito gravatum sentiat, recurrere ad superiorem eiusdem Ordinarii, v. g. Metropolitanum, qui *firma manente illata*

suspensione, inquiret per literas episcopum ipsum, ut irrogatae suspensionis causas aperire non gravetur, addita etiam promissione de servando secreto, si illud iustitia exigat aut christiana charitas suadeat. Ita definitum videmus a s. Congregatione, quae non semel respondit, reintegrari parochum vel alium clericum ex *informata conscientia* ab episcopo suspensum vel etiam a beneficio remotum. Perdurante autem censura, suspensus abstineat a vetitis functionibus: secus ipse in irregularitatem laberetur, ubi suspensio fuerit irrogata per modum statuti aut praecepti ob delictum futurum, aut praeteritum quidem sed habens tractum successivum.

Si bene perpendatur haec doctrina, videbitur, ut est, moderatione et utilitate plena. Dum enim Ordinario loci relinquitur possibilitas moderandi disciplinam clericalem, aperitur etiam clerico via reparandi iniustitiam, si qua fuerit ob episcopi oscitationem erroremve gravatus. Memoro utilitatem huiusce Tridentinae disciplinae. Plerumque enim expedit agere ad coercendos cleri abusus methodo oeconomicae administrationis, plus quam iudiciali, quae non habet semper exitum secundum veritatem ob insufficientiam probationum vel indiciorum, clamores suscitat per longius tempus, scandalum magis diutinum parit et diffusum, magisque sustinet lupos in ovili, qui dispergunt oves. Haec disciplina conciliaris, expeditior simul et contra scandala efficacior firmatur, ut patet, considerationibus etiam ordinis socialis. Neque repugnat tantopere iactatis et nimis obtrusis principiis modernae societatis, quae clamat omnium aequalitatem coram lege eamque consequitur, sin re, verbo tenus.

Quid enim? Agitur de personis ubique subiectis pro certa materia specialibusque iudiciis ecclesiasticae auctoritati, quae omnes aequales iudicat coram lege et aequaliter tractat. Agitur insuper de materia non criminosa coram lege civili, sed tantummodo ecclesiasticae disciplinae contraria. Quare ubi etiam, ut fere ubique, sublatum fuerit privilegium fori, clerici in re disciplinari propriis subiiciuntur Ordinariis, quibus omnibus aequaliter leges applicant. Accedit quod haec potestas, veluti domestica aut paterna, episcopis relicta eiusque Vicariis, parcus ac temperans usus, quem Concilium ipsum commendat (ses. XIII, cap. I de R. item s. XIV, de R. Prooemium), non parum proficit ipsi societati civili, impediendo corruptionem optimi, quod fiet pessimum. Disciplina poenitentiae publicae, quae antiquitus in Ecclesia inolevit, plura impediebat delicta, plures corrigebat delinquentes, qui pertranseundo per gradus poenae expiativae simul et correctricis, ad meliorem paulatim frugem redigebantur, quin fuisset necesse illos insuper subiicere poenis in Digesto vel in imperiali codice contentis. Clerici pariter poenitentialibus poenis ab Episcopo paterno more subacti atque ita correcti facilius removentur a periculo violandi codicem poenalem civilis societatis. Caeterum iustitia et convenientia Tridentinae sanctionis, qua de agitur, satis mihi videntur confirmatae, quin necesse ducam rationes rationibus addere (1). Contra istud caput disciplinare Tridentini, confirmatum a Bene-

(1) Hanc thesim uberius pertractavit Pallottini, *Pugna Iuris canonici cum leg. civ.* etc., quod opus Vindobonae haud pridem fuit impressum.

dicto XIV insurrexerunt congregati Pistorienses, qui nulla declararunt et invalidas suspensiones ex informata conscientia. Quam doctrinam ut falsam, perniciosam et Tridentino iniuriosam traduxit Bulla *Auctorem Fidei*. Et s. Congregatio Concilii ut irregularem habuit parochum, qui suspensus ab episcopo suo *ex informata conscientia, seu ob causas sibi notas*, sacrum tamen, interposita appellatione, adhuc faciebat et in curae exercitio manebat (1). Quare pro certo habeo, Vaticanum Concilium non esse adempturum episcopis hoc remedium Tridentinum ad disciplinam clericalem in dioecesi integram servandam, quantum patitur infirmitas humana.

CAPUT XVII.

PAROCHORUM INGRESSUS ET STABILITAS.

Ad beneficia parochialia liberae collationis fit gradus per concursum, nisi tam exigui sint redditus, ut hanc momentosam trutinam non ferant, aut nemo huic periculo concursus velit subesse, vel sicubi propter dissidia graves rixae vel tumultus timeantur. Tres examinatores ab episcopo delecti in clero saeculari vel regulari, doctores vel licentiati aut etiam magistri in theologia vel iure canonico, aut caeteroquin existimati magis idonei, renuncient quotcumque idonei iudicati fuerint aetate,

(1) In *Sagun.* 21 iun. 1625. V. et Bened. XIV, *De Synod. dioeces.* l. 12, c. 8.

moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Haec verba eruta ex Concilio Tridentino duo nobis demonstrant. Ac primo, plura concurrere debent elementa, quae ecclesiasticum dignum efficiant ad parochiale onus rite subeundum. Ponit Concilium aetatem et mores ante doctrinam, quam prudentia consequitur. Semper enim difficilis cura parochialis est, difficillima vero certis temporibus vel locis. Aetatis proinde habenda ratio est adeo ut, caeteris paribus, aetate maturior praevaleat, et saltem 25 annum eligendus attigerit. Memorat Concilium eodem loco, nempe Sess. XXIV de R. cap. 18, etiam mores, tantopere necessarios ut ministerium fructus suos proferat, memorat et prudentiam, condimentum laborum, qui pro cura animarum exantlantur. Sua est etiam pars doctrinae, non ita tamen ut ipsa vel sola requiratur vel caeteris qualitatibus anteponatur. Interdum qui minus scientia excellit, magis aptus est, ob alias qualitates, ad recte gubernandum, ut fuse docet s. Thomas, cui sapienter adhaeserunt Tridentini Patres (1). Quum itaque omnium harum qualitatum complexio in regimine animarum requiratur, patet, adsumptos examinatores synodales vel pro de his omnibus debere cognoscere et iudicare, adeo ut insufficiens dicenda sit eorum opera, si ad totam hanc inquisitionem non extendatur. Minus itaque conveniens, immo absolute inepta quia ad Tridentini et bullae Benedictinae *Cum illud* amussim minus exacta, ea concursus forma, in qua scientiae ratio habeatur, parum vero minusve aliarum

(1) Conc. Trid. sess. 24, cap. 18, *De Ref.*

qualitatum, quibus adeo iuvatur animarum cura (1). Hac inducta examinis parochialis methodo, si animus additur inventae in theologicis studiis recens exercitatae, corde versa vice excidunt provectiores in Ecclesiae servitio, qui curis sacri ministerii distenti et laboribus in vinea Domini, minus audent, etsi magis didicerint in arte artium, quae ducit animas ad coelum. Atque ita peccatur in rationabilem cleri educationem, quae exigit, ut laborosiores operarii plus expectare possint ab episcopi paterna sollicitudine. Hinc cordatiores praescribunt, ut concurrentes ad parochiale beneficium exhibeant in apposita scheda episcopali curiae afferenda documenta aetatis, exercitii pastoralis, caeterorumque, ex quibus licet ominari faustum exitum in animabus dirigendis (2). Haec autem attestatio exactorum officiorum duo efficit, nempe demonstrat, quis aptior practice habendus et quis dignior praemium obtinendi. Animadvertas velim, haec nos tradere de concursu parochialium in quarum regimine tantam sibi obtinent partem morum honestas et prudentia doctrinae exquisitiori praeponenda. Doctrinae putarem magis habendam rationem in concursu poenitentiariae, maxime autem in concursu praebendae theologalis, ut cuique patet.

Alterum, quod hic quaeri potest, est utrum examinatores iudicium comparativum, an tantum absolutum idoneitatis debeant emittere; vel utrum eorum sit declarare tantum idoneos, vel etiam magis idoneos. Paucis

(1) V. Bened. XIV bulla *Cum illud*, et de Synod. dioec. l. 4, c. 8, N. 3.

(2) V. Lambertini *Notif. VII.*

me expediam. Aliqui illorum officium extendunt ad hocce iudicium comparativum, quod falsum duco, praecipue si agatur de finali iudicio et definitivo, de iure ad solum episcopum pertinente. Re enim vera Concilium statuit post examen renuntiandos *quotcumque ab his* (scilicet examinatoribus) *idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis* (sess. XXIV, cap. 18). En ergo examinatorum officium. Eorum iudiciuma ttinget indiscriminatim omnes, qui idonei reperti fuerint, eritque proinde iudicium absolutum. Iudicium vero comparatum reservatur episcopo ab eodem Concilio, quod ideo subdit: *ex hisque episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum* (omnibus nempe rite perpensis) *iudicaverit*; *atque illi et non alteri collatio ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.* Iudicium itaque idoneitatis praecellentis soli episcopo reservatur. Cui etiam ius competit examini subiiciendi praesentatos a patronis, etsi forte ab inferioribus instituendos, atque inidoneos respuendi (sess. XV, 9 de R.). Sunt clara haec Tridentina decreta circa iudicium absolutum et collectivum examinatorum, nec non iudicium relativum et finale eiusdem episcopi: clariora autem evadunt ob responsa s. Congregationis legitimae eiusdem Concilii interpretis, quae hoc sensu litem diremit in *patavina* contra synodales examinatores qui sibi arrogabant iudicium comparativum et finale idoneitatis, non satis habentes renuntiationem omnium, qui idonei fuerint absolute reperti. Haec autem examinis methodus in concursu paroeciarum deducta fuit in praxim penes officium cardinalis

vicarii (1). Aliquae tamen inoleverunt consuetudines quibusdam in locis, quae normae Tridentinae et bullae *Cum illud* videntur minus consentaneae. Huiusmodi est ea, secundum quam examinatores de sola scientia concurrentium cognoscunt et iudicant, et paroecia ei assignatur, qui magis scientia se praestitit idoneum, nulla habita ratione de aliis dotibus ad animarum curam apprime utilibus. Alicubi etiam indicuntur pericula generalia quotannis concursus ad paroecias fortasse vacantes vel postea vacaturas. Sicque vix parochiale beneficium vacat, et iam adest qui declaratus fuit idoneus ad illud. Haec tamen praxis minus videtur consona cum forma Tridentini et laudatae bullae, ubi sermo est de examine, non generali, sed pro determinata paroecia. Re enim vera, pro diversitate curarum diversa requiritur et ratio studiorum et qualitatum boni gubernaculi. Aliud enim est regere exiguas rudesque plebeculas, aliud habitatores vicorum magis frequentium vel civitatum: aliud dirigere in viam salutis pios catholicos et simplices homines pacis, aliud versari inter homines corruptos vel acatholicos provocatores. Adde, quod indicendo pericula concursus ad determinatam paroeciam magis prospicitur libertati concurrentium, cuius libertatis habenda etiam ratio est, quo facilius electio ad curam arduam, quae animum debet angere, felicem exitum sortiatur. Hae vel aliae forsan haud absimiles considerationes in causa fuerunt, cur

(1) V. Honorante, *Praxis secret. card. Vicarii.* Consuli etiam potest Lucidi, *De visit. dioec.* Garcias, *De Benef.* p. V, c. 7, n. 11; tandem etiam Scavini *Theol. mor. univ.* tom 3, nn. 678, 737, ed. 10.

em. praefectus s. congr. Concilii ex delegatione apostolicae sedis episcopis proponeret inter alias sequentem quaestionem, quae est numero XII hisce concepta verbis: « Quanam forma indicatur et fiat concursus, qui in provisione ecclesiarum parochialium peragi debet iuxta decretum Concilii Tridentini, sess. 24 de Ref. cap. 18 et const. S. M. Benedicti, quae die 14 dec. 1742 data incipit: *Cum illud*?

Ratio, qua fit ingressus in parochialem ecclesiam, specimen praebendo per examen appositum, scientiae, morum, uno verbo, aptitudinis in arte regundarum animarum, videtur exigere quamdam stabilitatem officii favore eius, qui tantum sibi assumit onus. Ordo itaque idearum nos ducit ad quaestionem, quae agitatur de parochorum *amovibilitate*. Sed haec a quaestione originis parochiarum non debet seiungi. Qui harum divinam propugnant originem, etiam parochorum ortum vident in septuaginta duobus discipulis a Christo Domino designatis: quod nonnulli praestiterunt e schola synodi Pistoriensis (1). Nos vero antiquitatem huiusce institutionis venerantes, eam tamen dicimus nec iuris divini, nec probabiliter apostolici. Non enim satis firma videntur argumenta, quae nonnulli proferunt ex apostolorum aetate desumpta. (2). Extant vero alia tutissima monumenta quarti vel etiam tertii saeculi, passim ab eruditis catholicis collecta. Unum

(1) Tamburinus, *Vera idea della s. Sede;* Miotti, *Parroci santi*; auctor libri: *Istituzione div. de' parroci*, ex gall. in serm. ital. versi eam thesim propugnarunt. Sed contra scripserunt Lupi, Carguius, Bolgeni. Nuperius vero Nardi, *De' parroci*, 2 vol. in 4, Pesaro 1030; Bouix, *De parr.* p. 1.ª

(2) V. *Pasteur instruit* tom. 1.

nos hic memoramus, quod frustra apud iam laudatos auctores quaeres. In constitutione enim cleri a s. Zephyrino P. concinnata ineunte saeculo III, atque in concione populi, quam habebant presbyteri, ut ei Eucharistiam impertirent, erat veluti imago paroeciae in urbibus ipsis (1). Quia tamen hi presbyteri non erant certis in locis defixi, adeoque mittebantur modo huc modo illuc ad illud obeundum sacrum ministerium, hinc simulacrum istud paroeciale mancum erat et ineptum. Re enim vera origo paroeciarum, quae remotissima fuit in ruribus, multo serius in civitatibus apparuit, ubi episcopi per se, et opera presbyterorum utentes, animas curabant. Lupus, scriptor Bergomas putat, in urbibus paroecias vere non extitisse ante saeculum X, quamvis valde antiquius apparuerint in vicis (2).

Antiquitas paroeciarum ita exposita non sufficit tamen ad statuendam parochorum inamovibilitatem. Istorum nulla mentio in hierarchia catholica, prout a Tridentino exhibetur sess. XXIII. Re enim vera conditionem suam non a iure divino hauriunt, sed potius ab Ecclesia. A iure divino sacerdotium accipiunt et potestatem in habitu animas regendi, quaeque ad actum postea perducitur per simplicem iniunctionem episcopi, ut docet s. Thomas (2ª 2ªᵉ, q. 184, a. 6). Voluntate igitur episcopi constituitur parochi conditio: quid ni ab eiusdem episcopi voluntate pendeat haec curae spiritualis conservatio? Episcopalis actio in subiecta materia est intra certos

(1) V. Derossi *Bullet. d'arte crist.* marzo e aprile 1866, § 3.
(2) V. Lupi, *De parochis, ante an. Christi* 1000 dissert. tres, Bergomi 1827. Etiam Bohemerus, *De iure paroch.*

fines coercita, uti mox videbimus. Hic enim agitur de beneficio ecclesiastico, quod de se constituit ius perpetuum etiam respectu ipsius subiecti seu beneficiarii, qui de possessione illius nequit exturbari, nisi per iudicialem sententiam, ut sacri Canones ferunt (1). Hic vero sistendum nobis est ad huiusce inamovibilitatis accuratam intelligentiam. Non est ea confundenda cum *irrevocabilitate*. Est enim ius quo pollet parochiali beneficio provisus reclamandi, ut processus iudicialis viaque legalis ineatur, quandocumque placuerit episcopo praescribere ipsi parocho mutationem loci vel etiam absolutam amotionem. Non agitur hic ergo de absoluta *inamovibilitate*, non de absoluta *amovibilitate*; utraque enim dicenda foret Ecclesiae noxia, ut animadvertit Kober (2). Et revera sicut non leve praeiudicium foret Ecclesiae, si episcopus mediis careret arcendi ab ovili lupos ambulantes cum effigie pastoris; ita etiam valde esset deplorandum, si parocho innocenti deesset remedium se iudicialiter defendendi adversus episcopum specie mali deceptum. Necessitatem huiusce defensionis non excludit Tridentinum sess. XXI, cap. 6, ubi sic de parochis scandalose viventibus: « Eos vero, qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant, ac castigent, et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, *iuxta sacrorum Canonum constitutiones*, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant. » Ibi enim non mutantur canones, sed

(1) Can. 2, Dist. 70, et cap. un. *De capp. monach.* in 6°, can. 7, Dist. 56.

(2) *Diction. Encyclop. de Théol.* tom. 5, art. *Curé.*

fit appellatio ad eos quoad exercitium iustitiae poenalis. Neque officit iam recitatus Canon Tridentinus sess. XIV, c. 1, ubi de iudiciis *ex informata*, ut aiunt, *conscientia* agitur contra beneficiatos. Nam praeterquam quod haec iudicia referuntur potius ad officium, neque extenduntur ad privationem beneficii, vel fructuum eius, ut fuse demonstrant docti viri (1); addendum est, ita extraiudicialiter privato succurrere redintegrationis remedium per recursum ad sanctam congregationem Concilii, quae harum restitutionum, quas iustitia posceret, non semel praebuit exempla.

An urgens ratio erit recedendi ab hoc iure constituto, aliudque constituendi novum, per quod parochi possint amoveri sine remedio iudiciariae condemnationis? Aliqui nunc affirmant, et proferunt exemplum Galliae ubi parochi habentur ut amovibiles, et s. p. Gregorius XVI hanc probavit disciplinam (2). Sed prius licebit advertere, non omnes ibi paroecias esse ad nutum episcopi amovibiles, nam principaliores alia lege reguntur. Itaque Galliae disciplina hoc unum probat, paroecias constitutas ad normam vicariae amovibilis ad nutum in ea regione multo plures extare, quam exempli gratia in Italia. Sed inepte generaliter de omnibus absque exceptione asseritur. Iam vero quaerendum modo occurrit, an expediat hanc amovibilitatis disciplinam conciliariter in omnem catholicum orbem introducere quoad omnes et singulas absque exceptione parochias. Sunt qui stant

(1) Bouix, *De iudiciis*, tom. 2, parte 2ª, subiect. 3ª.
(2) V. *Analecta iuris pontif.* anno 1855.

pro affirmante, et sic ratiocinantur: Episcopus ipse est parochus dioecesis pro singulis eius fidelibus rationem redditurus. Eget ideo medio tuto, expedito et efficaci ad removendos a paroecia malos pastores. Iudicia semper longa, quandoque dubii exitus, semperque clamores excitantia. Verum non eripimus quidem episcopo hoc remedium; sed tutius nobis videtur quod modo Canones permittunt: via enim iudicialis processus magis removet errandi periculum, relinquit parocho, qui se gravatum sentiat episcopali iudicio, apertam viam ad s. Sedis iudicium. Quae via etiam magis populo arridet, quum libenter videat cum cautelis iudiciariis iniri processus adversus accusatos, qui sunt fortasse innocentes vel minus noxii, quam primo intuitu appareant. Quum mali male cogitent de iustitiae forma, quae a clero exercetur, quumque clamorem perpetuum edant adversus s. Inquisitionis tribunal, quod tamen iuxta formas legales procedere semper consuevit, facilius inveherentur contra remotiones absque canonico processu decretas, velut arbitrarios traducendo actus, quantumvis in se iustitiae et veritati conformes. In tanta iniquitate temporum abstinendum scrupulosius nedum a malo, sed etiam ab omni specie mali, eo vel magis quod libertas effraenata typorum nihil relinquat intactum.

Utique effraenis libido, quam persentit animalis homo, iudicandi ea quae sunt Ecclesiae, non facit hanc recedere a via sua, quae est via Domini. Sed quae non sunt necessaria magisque tamen exasperant odia malignantium, evaderent importuna et noxia. Abstinendum idcirco videtur ab iis. Sed interea, inquies, Rectores

dioecesani carerent necessario fraeno ad compescendam petulantiam pervicacium et scandala tollenda, noxia si a presbyteris, exitialia si ab animarum pastoribus proficiscantur. Atque hic defectus vis coactivae in episcopis magis hodie nocet regiminis clericalis efficaciae, quum desit etiam, quod retro exhibebant catholica gubernia, ipsum saeculare brachium. Hoc tamen difficilius accederet curae episcopali, si ageretur de tuendis externis effectibus actuum extraiudicialium. Saltem consectaria deficientis brachii saecularis eadem forent pro utroque systemate. Pone parochum, suspensione ictum, immo sententia episcopi extraiudiciali a cura remotum in suo loco persistere, ab eo nonnisi vi illata recessurum, quid iuverit episcopo potestas amovendi extraiudicialiter? Sibi relictus, nihil poterit contra proterviam insordescentis. Quae facilius perrumpitur per sententiam iudicialem, vel per decretum ex *informata conscientia*, a s. Congregatione confirmatum, praeterquamquod rebellio contra acta istiusmodi minus fortasse toleraretur ab ipsa civili potestate.

Absoluta *amovibilitas* parochorum gravia gignit incommoda et praeiudicia ipsi Ecclesiae. Scilicet illa potest pastoribus displicere, qui se considerabunt non amplius firmo iunctos connubio cum propria ecclesia, sed potius ut mercenarios missos ad eam excolendam, quique ab illa abstrahi poterunt quando minus cogitaverint. Hinc minori cum zelo sudores fundent pro agro Christi, scientes se quandocumque ab eo vi posse removeri. Hae cogitationes autem in spirituale et materiale damnum ipsius ecclesiae poterunt redundare. Qui enim precario regit populum, vix studet abusus evellere, qui longum requi-

runt tempus, vel opus reformationis suscipere difficultatibus asperum, vel pro aedificio materiali ecclesiae, vel pro dote beneficii magnas impendere curas sumptusve: timebit enim ne improviso abrumpantur sua coepta laboriosa. Profecto vix timendum, ne vel unus inveniatur episcopus, qui regat dicendo: *Stat pro ratione voluntas*; sed tamen, admisso iure removendi extraiudicialiter, nemo paroeciam ingressus sibi dicere potest: *Haec requies mea*, ibique tamquam in loco requietis ea suscipiet, quae longam etiam desiderent curam. Id etiam refrigerabit ardorem studii ad periculum concursus, quum vix ardui suscipi soleant labores, qui non ducant ad stabilem vitae rationem et permanentem locum refugii. Adde etiam, id verti in praeiudicium ipsarum plebium, quum minus diligatur, quod minus certe possidetur, et minus laboratur pro minus dilectis. Semel tandem admissa parochorum amovibilitate, quid ni ad caetera non extendetur beneficia, praesertim cum haec non adeantur ut plurimum praevio concursu? Cum parochis amovibiles evadent canonici et caeteri beneficiati, secus enim beneficia curata minus appetibilia evadent et desiderata, quam simplicia. Quod quidem non leve afferret praeiudicium laborioso ministerio. Contingit saepe, ut quis ordinatus fuerit cum titulo beneficii, quod ne clericus in dedecus ordinis cogatur ostiatim emendicare, firmum debet esse et perpetuum. Tale ne erit, si provisus removeri queat ad nutum episcopi et absque iudiciali cautela?

En rationes potissimae, quae me movent ad propugnandam inamovibilitatem parochorum, saltem in praecipuis animarum curis. Non semel vicariae amovibiles factae

sunt perpetuae, quia melius prospici visum est sic paroeciae utilitati. Si omnes, etiam insigniores, redigantur ad conditionem vicariae amovibilis, nescio an vere Ecclesiae bono prospiciatur.

Temporum conditio, in quibus versamur, hoc parochorum firmissimum statum videtur efflagitare. Re enim vera dioeceseon imminutio, tam accepta gubernatoribus hodiernis, qui tam aegre consentiunt, ut vacantes repleantur novo antistite, magis requirunt firmitudinem in statu parochorum. Qui dubio procul postremis hisce annis attenta mente pensatur a sedium episcopalium moderatoribus. Re enim vera iam Gregorius XVI declaraverat, conditionem *rectorum succursalium*, seu vicariorum independentium (desservants) immutari non posse absque Romanae Sedis interventu. Et Patres Concilii provincialis Rhemensis anno 1849 se vinculo obstrinxerunt ad numerum augendum curarum vel titulorum inamovibilium, illi addendo pro unoquoque circulo duos, tresve vel etiam quatuor (1). S. congregatio distulit hac de re sententiam suam quoadusque alia gallicana concilia suam emiserint sententiam. Propensio itaque Ecclesiae ad tuendam parochorum conditionem, eamque tamen conciliandam cum Ecclesiae eiusdem utilitate non mihi ambigua videtur. Immo propensio haec apparuit iampridem in Concilio Tridentino et in s. Congregatione eiusdem interprete (2).

(1) V. tit. 15 et Analecta I. P. an. 1855. Etiam nuperum concilium provinc. parisiense s. Patri scribens, providum asserit definire conditionem pastorum (desservants.) qui post concordatum an. 1801 relicti sunt arbitrio episcopi, eiusdem nutu amovibiles.

(2) Conc. Trid. sess. VII, c. 7: sess. XXI, c. 6; sess. XXV, c. 16.

In id enim ipsa intendit, ut Paroecia quaelibet proprium habeat pastorem, *sponsumque unicum et perpetuum*, qui sincera charitate ei adglutinaretur, consuleretque; quum ex adverso vicarii revocabiles instar mercenariorum sint, charitatis expertes, instabiles, minus chari gregi, minus venerandi, ideoque minus utiles. Nullo non loco Tridentinum vicariorum perpetuitati suffragatur, et Tridentini vestigiis haeserunt reges Franci (1). Viam quamdam mediam conciliationis arripere mihi visa est laudata s. congregatio Concilii, dum postulat, ut episcopi declarent an expediat numerum causarum augere, quibus parochi ecclesiis suis iure privari possint: nec non et procedendi formam laxius praestituere, qua ad huiusmodi privationes facilius, salva iustitia, possit deveniri.

Momentosa quaestio haec est, de qua nonnihil mihi dicendum restat. Si inspiciatur finis parochialis ministerii, qui est animarum salus, mihi videntur novae causae addi posse iam lege notatis, ob quas parochus possit iudicialiter a suo removeri officio. Hae autem causae vel respiciunt intellectum vel mores. Quoad primum, causae apostasiae vel haeresis, cui obfirmate haereat pastor animarum, factus lupus dispergens eas, mihi videtur opportune addi posse quaevis doctrina, gravi nota, licet non haereticali, confixa, quae male sapiat piis auribus et in qua propaganda sine mensura totus sit parochus ipse. Vigilantia opus est episcopis; nam postremis hisce temporibus animarum pastores talibus doctrinis

S. Congr. apud Thomass. *Vetus et Nova Eccl. discipl. De benef.* p. 1ª, lib. 2, cap. 28.

(1) Thomass. op. et loc. praenot.

servientes, quae postea a s. Sede in Enc.: *Quanta cura* fuerunt confixae, ingens damnum et Ecclesiae et societati intulerunt. Si itaque praefracte in iis insistat pastor plebis, si, quod peius, easdem pandat venenum pro pabulo fundens; si monitus non semel et cum interminatione poenarum se praebeat inemendabilem, tunc ecclesiastico processui poenali subiiciatur, nova favente, ut sperari potest, conciliari lege. Parochus enim non debet fovere aut sequi vulgaria praeiudicia, sed iis fortiter et prudenter obsistere. Pariter multae aliae causae, praeter eas quae ad normam sacrorum Canonum remotionem infligunt a beneficio curato, enumerari possent noxiae animarum fructuoso regimini. Si parochus non abstineat ab iis quae mali speciem ita ferant, ut vel ipsos pios offendat, veluti si ancillam habeat pulcram, aetate florentem, quae nimis ornata incedat et audacula domi ac extra; si ita indulgeat negotiationi aut venationi, ut in hisce curis plus quam in ecclesiasticis officiis esse videatur cum gravi pusillorum scandalo; si ludos, etiamsi non aleatorios, ita frequentet ut in iis thesauros suos tempusque omnibus thesauris pretiosius insumat cum offendiculo fidelium et pietatis publicae detrimento; si denique, silente civili lege, ita usuras exerceat, ut laicos avidiores vel etiam Iudaeos adaequet in exigendis lucris sortis; si in illis aliisque similibus, quamvis paterne monitus, persistat, parvipendens etiam malam famam, quam sibi in populo quaesivit, optandum tunc esset, ut lex conciliaris episcopum instrueret potestate iudiciali, qua pastorem noxium removeret ab ovili et ab ecclesia proditorem animarum. Suspensio *ex informata conscientia*,

quae in hisce casibus posset inferri, insufficiens praeberet remedium. Si punitio non redigat reum ad meliorem frugem, separetur ipse a consortio plebis, ne eam taminare amplius audeat.

Procedendi vero forma ad hanc remotionis sententiam adhibenda ea esse debet, quae conducat ad noscendam veritatem sine laesione iustitiae cum securitate et fiducia iudicandi, celerius rem expediat, minusque occasionem praebeat clamoribus et scandalo. Hoc antem pacto finis obtinebitur desideratus, et cum minori incommodo. Reducatur forma iudicii ad actus pure essentiales, demptis tergiversationibus et tricis, quae officiunt brevitati iudicii et claritati causae. Iudicio non interveniant nisi personae purae necessitatis, nempe orator legis qui causam nitide ac breviter exponat eiusque pandat canonica consectaria, ac reus in persona propria, si fieri potest, vel per procuratorem, qui etiam sit clericus. Liceat ei se ipsum defendere etiam per alium, qui si fieri potest, deligatur et ipse inter clericos, quo melius secretum custodiatur et formae moderatio in dicendo. Testes accusatorii sint pauci, iique delecti. Sed reo libertas non adimatur proferendi, quos sibi favorabiliores existimaverit. Iuramentum non admitteremin hoc causae genere, non quod dicitur *calumniae*, non *suppletorium*. Probationibus enim, praesumptionibus et indiciis res est efficienda. Si dubium permaneat, aliaratione discutiatur. Ceterum facilius lux fiet hisce in causis absque iuramento accusati. Parochus, qui se iuramento purgaverit adversus probationes semiplenas vel praesumptiones alicuius ponderis, in suspicionem periuri veniret apud multos, atque etiam innocens, famae ca-

peret detrimentum. Exceptiones vix admitterem adversus accusatorem officialem, minus autem adversus iudicem, qui est una cum episcopo persona legalis. Si tamen causa suspicionis gravis foret, et fortuito enata non verteret in probrum ipsius iudicis, putarem audiendum esse reum. Tunc autem episcopus uti posset opera vel pro-vicarii vel iudicis synodalis. Iudex autem causam expediat ponens modum accusationi et defensioni, nec sinens in infinitum protendi replicationes, duplicationes, triplicationes. Qui actus melius in scriptis exhibeantur, ad vitandos clamores forenses et minus concinnos dicendi impetus. Si sic ponatur causa, si essentialia secernantur a mere accessoriis, facili negotio et brevissimo tempore maturescit illa, per sententiam iudicis dirimenda. Quae scripto prolata et latino sermone, quamvis hic iam pene evaserit arcanus, postquam transierit in rem iudicatam quae proprie actionem parit et exceptionem, veritatis habetur loco. Rem iudicatam sequitur executio: sed quum plerumque sententiam inter et rem iudicatam ponatur appellatio, de hac ad rem nostram fiet sermo. Hoc remedium non videretur negandum parocho, qui in causa succubuit. Iure anteiustinianaeo semel tantum licebat appellare; et post imperatorem ius antiquum revixit apud plurimas gentes unicae tantum appellationis et rei iudicatae per duas sententias. Istud iuris Romae acceptum est, testante, Iohanne Devoti (1). Quoniam a gravamine episcopi appellari illico posset ad s. Pontificem, omissis mediis, metropolitis nempe et patriarchis, putarem hoc casu con-

(1) *Instit. Canonic.* tom. 3, *de iudiciis*, tit. XV.

cedendum esse parocho damnato recursum ad s. Sedem et appellationem a iudicio episcopali vel potius causae revisionem. Unicus et ultimus gradus hic appellationis contrahit cursum iudicii remque statim absolvit. Non succenseant metropolitae de hac compendiaria processus iudiciarii ratione ob causae expeditionem. Putarem immo, quum hic de causa agatur emendationis morum, neque antistes iudex egisse putetur supra modum quem observare oportebat (cap. 3 et 53 *de appell.*), appellationi non tribuendum effectum suspensivum, sed tantum devolutivum. Quod idcirco minus impediret actus administrationis dioecesanae, quos non semel urget ponere. Ita causae devolutio ad s. Sedem emendatura erit errorem, si quis fuerit, iudicis ordinarii, et pariet vel plenam redintegrationem, vel saltem famae reparationem, novumque competens stabilimen parocho remoto. En quomodo prospectum censerem et episcopi libertati in regendo et parochi simul securitati pro iure suo tuendo. Nescio autem an ita satis fiat quaestioni num. 13 a praefecto s. Congregationis Concilii propositae episcopis catholici orbis.

CAPUT XVIII.

CANONICI EORUMQUE OFFICIA.

Incidimus in tempora nefasta, quibus parum solent aestimari exercitia publicae orationis et liturgica, queis ex officio vacare canonici solent. Qui minus Ecclesiae utiles, minusque consonos hodiernis necessitatibus habuerunt religiosos ordines, praesertim vitae contemplativae

unice deditos, iidem profecto parum utilitatis expectant a psalmodiis missisque Capitulorum. Solum pastoralem vitam activam eorum tolerantia dignam arbitrantur; vellentque canonicos minus in psallendo et cantando occupatos, quam in concionando, excipiendisque fidelium confessionibus. Verum Ecclesia, dum opus ministerii in magno pretio habet, valde etiam aestimat exercitium chorale. Officium enim psallendi et publice divinas laudes decantandi maioris est momenti, quam a modernis pseudo-reformatoribus habeatur. Canonicorum institutionem non exiguae utilitatis agnovit pontifex Pius VI, dum diris devovit expositionem super principiis constitutionis cleri in Gallia (1). Profecto Concilium Patrum in Vaticano sedentium non perimet antiquissimam canonicorum institutionem, quia minus benevisa apparet eis, qui de religione tam male sentiunt et inepte loquuntur. Capitula sunt magno in honore habenda, non solum quia laudibus Deo solvendis sunt vocata, sed praesertim quod dioecesanam iurisdictionem repraesentent interregni tempore et, sede plena, sint episcopi nati consiliarii. Patet, nos praecipue loqui de capitulis cathedralium, quippe quae sunt collegiatis ipsis valde excellentiora.

Si vero expedit magis, ut canonici, magnopere deminuto reliquo clero, se dedant apostolicae vitae, haud dubitabunt Patres illorum diurna pensa choralia temperare ac imminuere, ne per haec abstrahantur a praestanda opera alteri ministerio, quod eos possit sustentare et

(1) Vide eius epistolam ad D. cardinalem presbyterum Rupefucaldium in *Documents inédits rélat. aux an. rélig. en France publ. par August. Theiner, tom. I.*

sustentet ubi non impediantur a psalmodicis exercitiis. Ceterum Concilium provinciale parisiense cap. 17 proponendum duxit, ut capitulis imminuerentur onera chori ob redditus exiguitatem, atque ut ad alia mentem possint convertere. Ita ob operariorum paucitatem, qui in dies eo vel magis attenuantur ob reductiones dioeceseon, cleri paupertatem, beneficiorum exiguitatem vel paucitatem, et alicubi etiam ob quandam politicam libertatem, quae omnes iuvenes, validos post quartum lustrum reddit coactos milites, aliquid subtrahitur vitae contemplativae vel orationis, quae tamen christianae professionis est anima vivificans, ut obviam eatur sacri ministerii urgentioribus necessitatibus.

Et haec quidem de canonicis in genere, quos abnormis Ecclesiae status a moderna libertate non leviter constrictae videtur vocare ad operam adiutricem praestandam in officium ministerii, praesertim quod regulares alicubi numero valde decreverint, alibi vero desint omnino. Sed in ipsis capitularibus officiis providum ne erit aliquid immutari? Dicam reverenter quid sentiam. Pluries sum admiratus Ecclesiae leges disciplinares, maxime accommodatas ubique gentium. At illae non sunt communitae sigillo perpetuitatis; quia non permanent in eodem statu necessitates populorum et eorumdem spirituales gustus.

Quum enim hi saepe depraventur simulque dispereant materialia alimenta quarumdam ecclesiasticarum institutionum, necessitas surgit aliquarum disciplinarium mutationum interdum non sine moerore ipsius Ecclesiae, quae gaudet semper magis splendescere circumdata varietate.

Duo sunt capitularia officia, poenitentiaria et praebenda theologalis, quarum institutiones nobis occurrit considerare in conspectu hodiernae conditionis Ecclesiae. Poenitentiario videtur vix relictus locus existendi distincte ab aliis canonicis. Si eum spectes ut facultate donatum absolvendi a peccatis reservatis censurisque adnexis, reponam, censurarum et reservationum numerum non parum fuisse exinanitum, ineunte Concilio a R. Pontifice Pio IX, praeterquam quod soleant episcopi facultates suas et pontificias, quae subdelegari possint, in confessarios transferre frugi et prudentiores. Quod si poenitentiarius consideretur ut simpliciter confessarius, minuetur eius spirituale compendium, si et alii canonici confessionibus excipiendis incubuerint. Quod videtur, ut caetera mittam, conformius rationi et nostrae aetatis voto, dicerem etiam, spiritui Ecclesiae omnium temporum. S. Carolus Borromeus voluit tamquam choro praesentes haberi canonicos, qui tempore divini officii in eadem ecclesia cathedrali vel collegiata confessionibus audiendis vacaverint. Quae praxis etiamnum fideliter servatur in quibusdam cathedralibus, quae antiquitus ad provinciam ecclesiasticam Mediolanensem pertinebant. Haec dum memoro, absit ut in votis habeam horum officiorum canonicalium abolitionem, tamquam minus utilium.

Opto solummodo, ut eadem momentosa semper, etiam mutatis temporibus, permaneant. Renoventur quae veterascunt; immo nova, si fieri possit, afferantur. Quod magis intelligas de locis ubi, suppresso officio, gubernia rapacem aquilam in signis deferentia, praebendam arripuerint, neque ex volis decidere sinant vel frustulum

pensionis. Poenitentiarii nobis ampliari posse videtur praebendale pensum, cuius gravitas sit duratura etiam in futurum. Non nobis satis est, ut confessarii defungatur muniis. Etiam si solus in ecclesia hoc impleat officium, rem tantum communem obibit et ab alio quovis facile implendam: si cum aliis, nec habebit, quo ab aliis secernatur. Et tamen sacri canones Tridentini postulant, ut poenitentiarius aetatem deferat quadraginta annorum, neque nisi laurea vel licentia theologali aut in iure canonico ornatus et, praevio concursus periculo, praebendam inire possit. Quod probat, ex mente Ecclesiae, poenitentiarium valde a caeteris canonicis distinguendum ratione officii (Trid. XXIV, 8). Si autem saeculo XVI onus confessionum sufficiebat ad illum distinguendum a collegis, quorum alii non erant sacerdotio insigniti, alii non a confessionibus et multi praebendam adipiscebantur favore patronorum vel privilegio familiae, non sic in praesens, quum canonici aetate graviores et instituto vitae laborosiores esse debeant. Sit igitur, nostro quidem exiguo sensu et modesto voto, poenitentiarius non confessarius tantum, sed et magister specialiter practicus confessariorum. Nulli magis convenit officium cognoscendi, regulandi fidelium conscientias illisque medendi, quam confessario dioeceseos. Iste hanc scientiam poterit erigere ad altitudinem ministerii, quod hodierna die maioribus septum difficultatibus apparet. Ad illud, uti theologali redimitus corona, afferet scientiam polemicam contra serpentes errores in religionem, quae oppugnatur sub praetextu politico; afferet scientiam ethicam in omni sua, qua late patet, vastitate, quaeque tum

peccatores veternosos expergat, et iustos manuducat ad volatus altissimae contemplationis; afferet scientiam asceticam et mysticam, quae intellectum illuminet et cor inflammet; afferet thesaurum experientiae, a viro collectum qui maturus didicit animarum secreta recondita magis et nulli pandenda; afferet scientiam cordium viamque illos tuto pervadendi, opitulante gratia Dei. En cuius pretiosissimae scientiae magisterium traderetur utiliter a poenitentiario, ut clerus sub ipso pubens in animarum venatione evadat expertissimus. An obtinebitur id ipsum sub magistro expertiore litterae mortuae, quam verborum animae viventis, vel sub medico, erudito magis quam clinico? Quaedam melius discuntur ad cathedram experientiae, quam in libris doctorum.

Ita, nostro quidem iudicio, exaltari posset poenitentiarii officium; atque ita utiles institutiones Ecclesiae utiliores redderentur, mutatis temporibus. Alterum officium in capitulis est theologale, quod considerandum est mihi in conspectu societatis praesentis christiani orbis. Providentissima haec fuit institutio tempore Lateranensis IV ac etiam aetate Tridentini, qua rariores erant extra conventus doctores et docti, quam nostris diebus. Deerat, qui theologiam dogmaticam, vel moralem, vel sacram Scripturam sic calleret, ut magister cleri fieri mereretur. En praesto erat theologus, qui fiebat cleri institutor. Mirandum non erat idcirco, si ipse vel theologiam scholasticam, vel moralem, vel sacram Scripturam clericos doceret ad episcopi arbitrium. Quae varia genera doctrinae sacrae sufficientia habebantur ad officium theologale, prout docet Benedictus XIV De sy-

nodo dioeces. et alibi. Proximiore vero aetate succrescebat numerus doctorum, ita ut episcopi erigere possent scientiae cathedras in seminario, quin opus haberent canonico theologo, quo saepe ad id non utebantur, praeponendo minus maturos, fortasse etiam minus doctos, magis vero eorum iudicio docibiles. Aliquibus etiam videri potuit, episcopalem magistrum, ex institutione conciliari enatum, episcopalis actionis libertatem aliquantulum arctare. Effectum est hinc, ut theologis relictum sit munus legendi in ecclesia cathedrali s. Scripturam coram clero et populo diebus dominicis non impeditis anni scholastici. Quae quidem docendi ratio magis arridere visa est Concilio Beneventano sub Benedicto XIII et interdum etiam s. Congregationi Concilii Tridentini. Alicubi autem lectio theologalis adeo concionatoriam induit formam, ut in parochialem ferme catechesim vel evangelicum sermonem transiret, sub praetextu maxime, quod lectio biblica festiva ab aliqua religiosa familia haberetur.' Sacra vero Congregatio Concilii in primis inhaesit huic regulae, ut nempe officium theologi sit pure scholasticum non vero concionatorium, et in eo tractetur praecipue sacra hermeneutica, neque sufficiat expositio moralis. Sic mense iunio anni 1847 decrevit s. Congregatio Concilii, instante episcopo Casalensi, apprime iuxta conclusionem nostram: cuius decisionis habemus authenticum documentum. Digna sunt, quae legantur acta huius causae; in iis quippe copiose tractata reperies, quae ad officium theologale referuntur (1).

(1) Refertur in collectione decret. s. Congr. Conc. et a D. D. Lucidi in laud. opere *De visitat.*, etc. Ceterum de can. theologo

Sic tamen constituta lectio theologalis multum ne affert utilitatis tum clero tum populo? Clerus haud valde proficiet, si, ut solet contingere, non valde affluat, quia festivis curis ad alia vocatus, seu quia de lectionibus numero paucis neque ordinatis scientiae ad vivum corpus, de dissertationibus super argumenta disiuncta neque conflata in unitatem organicam doctrinae non poterit haurire plenam ideam thesauri divinorum voluminum. Neque numero plures exercitationes exigere posses a theologo, atque ultra quam ferat loci consuetudo; neque immo id foret honestum petere in urbibus, ubi theologus sit male nummatus atque ne hilum quidem colligat supra caeteros canonicos psallentes et nil amplius agentes extra chorum.

Quod si de laicis agatur, scias homines cultiores, qui aliquantisper possent proficere ex docta dissertatione biblica, haud frequenter hodie ecclesiam petere dum rudes audiunt, fugiuntque dicentes se non intelligere latinum idioma. Iis vero latinum, quidquid supra eorum intellectum est. Non intelligunt autem biblicas expositiones docte, ut supra dictum est, exaratas, etiam lingua vernacula. Desertam pene videbis ecclesiam, si theologus docte et erudite disserat de s. Scriptura, sermone quantumvis italico et plano, potius quam latino; quod ei integrum foret, immo opportunius iuxta aliquot doctores penes Scarfantonium (1).

piura reperies apud cardin. Petra, Monacelli, Bened. XIV, *Instit. Eccl.*, 53; apud Scarfantonium, *Lucubr. canonic.*; Bouix, *De capitulis*; Giraldi, *Expos. iur. pontif.*, aliosque plures.

(1) Lucubr. Canonic., lib. 4, tit. 9. Concordat Ventriglia.

Plebs in urbibus non appetit panem doctrinae biblicae, immo parum frequentat ipsas parochiales institutiones, aliquanto plus sitiens conciones extraordinarias, quae fiunt festis sanctorum, mense mariano, praesertim si orator narrationes exhibeat miraculorum minus, quam biblica et evangelica, nota magisque sonora. Quid ergo? Sepones ne inter obsoleta neque amplius utilia officium theologale? Non ego sane istud ausim dicere. Non enim ignoro sensus s. Congregationis Concilii, Pontificum Gregorii XVI et Pii IX, semper gloriosi licet non semel in crucem acti, quos alia occasione memini (1). Non tamen putarem errare, si dixerim enitendum ut munus theologale servetur pro varia temporum ratione necessitatibus Cleri et populi accommodatum. Optandum sane esset, ut Vaticani Patres in id etiam animos intenderent, ut theologorum erigerent conditionem et magisterium, non quidem per nova onera minusque retributa, sed pro modo, proportione, rationeque voti, quod secum fert saeculum XIX. Plura elementa usquequaque bona ante oculos habent Vaticani Patres, sed quae initio providissima minus in dies sancto proposito inservire coeperunt. Ea renovent, insuflante Spiritu Sancto, foecundentque eius potenti virtute. Vellem hic interrogare multos illos lectores theologales, qui lectionem publicam produnt coram aliquibus clericis paucisque laicis parum eruditis, an id muneris expleant cum ea animi satisfactione et oblectamento, quo catechismum puerulos edocerent. Experientia ultra trigesimum annum perlata

(1) *La prima settimana del mondo*, ecc. Ragion. ult. e prolus.

mihi suggereret responsum negans. Accedit, quod in obeundo theologali officio adeo variaverint et varient consuetudines temporum et locorum, ut nihil certum minus et determinatum. Caetera officia, ut parochi, poenitentiarii et alia quaevis beneficiis adnexa, sunt per se clara, terminisque circumscripta; theologale autem pene relictum videtur arbitrio episcoporum, quo aliqui abusi sunt ut probant acta Congregationis Concilii. Arbitrium hoc est vere coercitum tum lege Tridentini, tum responsis cardinalium, tum demum rationabili consuetudine et aequitate: id tamen hucusque non fuit impedimento continuis hac super re controversiis. Valde itaque nobis hac de re videtur opportunum determinare istud officii tam clare, quam possit esse officium ipsum poenitentiarii.

Canonicus theologus verissime spectandus est, ut magister cleri: conveniens ergo mihi videtur, ut studiis clericalibus praesit, ea dirigat et quae momentosiora sint ipsemet tractet et in tota eorum amplitudine complectatur. Doctor nomine et re, cur non vitam transiget in docendo? Director studiorum clericalium et magister rerum scitu magis necessariarum in iis qui docturi sunt fideles, en cuius officii videtur capax, dignusque, qui scholastico est canonicatu insignitus. Istud officium nihil unquam amittet suae excellentiae et utilitatis, sive clerus doctus abundet sive rarefiat in dioecesi. In qua, et praesertim in civitate, suam nullo non tempore dignitatem et utilitatem servabit theologus cathedralis. Secus in communi aestimatione eius officium reduceretur ad aliquid puri nominis. Sic esset provisum altitudini et con-

stanti utilitati eiusdem officii. Cui proportionata omnino convenit retributio. Theologum enim studio operam dedisse necesse fuit, tum ut doctoratus insignia lucraretur in probata universitate, tum ad concursus aleam praemittendam tanti officii assecutioni. Adde etiam illi copiosa et electa opus esse bibliotheca in dies succrescente, qua possit varias errorum metamorphoses persequi et refutare iuxta recentiorum pontificum vota (1). Quis autem nesciat, latissime patere scientiae biblicae fines, ferme ad encyclopediae rationem protentae? Iam tribus ante saeculis Tridentinum erigendam statuit praebendam pro theologali, et prius quam ipsa poenitentiarii praebenda, atque etiam quomodo providendum, si ea fortasse desit vel sit insufficiens (2). Quem quidem casum admodum possibilem insufficientiae spectare non videtur idem concilium ubi agit de erectione poenitentiariae (XXIV, 8). Dicere tamen posses, hanc sufficientiam ab eo supponi, cum agatur de officio quod per se subsistit et priusquam ei adiungatur praebenda proxime vacatura. Ceterum autem sufficientia praebendae theologalis res est absolute necessaria, ex mente Tridentini, ut officium vere constitutum esse dici possit: illa enim deficiente, nec onus extare potest. Praescribit autem Concilium ipsum rationem hanc necessariam sufficientiam theologalis stipendii attingendi. S. Carolus vero mentem Concilii, cui praesens extitit, assecutus, istiusmodi canonicatum scho-

(1) V. Memor. Const. Gregorii et Pii.

(2) Trident., Sess. V, cap. 1, De Ref. Congrua vero theol. computanda deductis oneribus. Camerinensis 1735, Nucerae, p. 1738; Civit. Ducal. 1737; neque tam ieiunia ponenda, sicut v. g. in capellano, ut docet Scarfantonius.

lasticum dignitatibus accensuit, quo spectabiliorem illum redderet coram Clero et populo. Sed et illum subiectum censuit pluribus officiis theologalibus; quae quidem onerum cumulatio fere ubique in desuetudinem abiit (1). Potius in consuetudinem pluribus in locis abiit cumulatio stipendii cum praebenda, nisi haec sit caeteris pinguior. Quare hic doctores tradunt, recte exhiberi et stipendium, si hoc diligentiorem reddere possit theologum in sui muneris executione. Et cum tamquam canonicus et lector duplici fungatur officio, haud est inconveniens, ut duplicatum recipiat emolumentum (2). Re enim vera ratio aequitatis et iustitiae distributivae postulat, ut emolumenta respondeant labori, et proportio servetur inter minus et magis meritos. Qui ordo iustitiae si posthabeatur, tepescit in clero, praesertim novitio, sensus aemulationis, hocque defervescente, ipsamet cleropaedia non modice vulneratur. Viri ecclesiastica scientia insignes, studiorumque periti hanc canonicatus scholastici curam maxime in votis habuerant. Dabo inter alia nomen eminentissimi Deluca, qui propter zelum theologalis officii acribus verbis quosdam iaculatur episcopos. Ait enim, huic fundationi consultum iri, *ubi tamen adsunt episcopi, qui vere sint episcopi, et pastores non autem ubi sunt mercenarii, sive institutores, qui aliud non agunt neque cogitant, nisi studere pinguiori fructuum et proventuum recollectioni ac subditorum excoriationi, ut seipsos vel suscepta onera impleant.* Et paulo infra non

(1) V. Thes. Resol. tom. 2, p. 369.

(2) Barbosa, *De Canonicis*, cap. 27, et *Adnot. in Conc. Trid.* ad sess. V, c. I.

absimilia mittit iacula contra episcopos circa theologalem praebendam incuriose agentes. Non silet tamen, queis premeretur angustiis Clerus italus sui temporis, ob praebendarum penuriam vel exiguitatem (1). Quae quidem non adeo excreverunt, ab illis diebus ad nostros, ut videri potuerint opimiores quam par esset. Sed etiam vinea Naboth cupidinem acuit impii Achabi. Non obstante autem parcissimo penu, episcopi, quos zelus devorat domus Dei, vigilabunt ne desit vel desitura sit congrua dos magistro tam antiquae et venerandae institutionis (2). Cui providendum prae caeteris, ex mente Concilii et Pontificum. Neque scrupulis locus esse potest ob hasce retributiones. Nam si pro ea (legendi facultate) pretium detur vel recipiatur, nulla simonia committitur, quia actus docendi non est res sacra, nec actus potestatis spiritualis, pro qua pretium dari non potest (3).

CAPUT XIX.

DE CLERICORUM SUSTENTATIONE ET LEVAMINE.

Clericorum institutio salebrosa res et aleae plena, difficillima autem hisce tempestatibus, quibus tam enormiter crescunt pericula, quae offendunt puritatem doctrinae morumque innocentiam, et simul minuuntur media materialia quibus eadem promovetur clericalis

(1) Adnot. in Conc. Trid. Disc. 2.

(2) C. De Luca, ibid.

(3) Suarez, *De Relig.*, tom. 1, lib. 4; *De Simon.* cap. 16, n. 19; Barbosa, *Iuris. eccl. univ.*, lib. 1, cap. 13.

educatio. Enim vero quum plerumque sub specie et nomine libertatis vehementius opprimi soleat Ecclesia, vix habere haec potest unde provideat clericis suis tum panem corporeum, tum panem doctrinae. Videamus, quomodo sub utroque respectu possit conditio eius allevari. Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Filii Ecclesiae clerici et pauperes, egestate pressi, petunt panem a matre, quae unde succurrat eis non possidet. Pluribus enim in regionibus expilata ac pene ad incitas redacta, vix invenit panis frustulas quibus sustentet in sortem Domini vocatos. Inter divitias saeculi perambulans, quasi versaretur ut divinus suus sponsus in deserto, incipit esurire. Panis ei deesset, quem frangat clericis, qui plerumque ex humili vel mediocri loco prodeuntes egerent absque subsidio, ni charitatis viscera quae omnino in fidelibus non torpescunt, providerent pro alumnorum pastione panem quotidianum. Sed quomodo aliis, iisque gravioribus, succurret necessitatibus? Praeter diurnum, quod postulatur in oratione dominica, clerico opus est quodam cespite redditus perpetui, qui eum ab egestatis squallore defendat et a mendicitatis necessitate in probrum ordinis ad quem spectat. Provide hinc Ecclesia iam in Concilio chalcedonensi statuebat ne quis ordinaretur, nisi in ordinatione alicui certo adscriberetur titulo seu ecclesiae in perpetuum. Viri tamen insignes, ut de Paulino legimus et Hieronymo, ordinabantur etiam, quin certae ecclesiae manerent constanter alligati, sicque possent Ecclesiae universae potius utilem praestare operam. Processu vero temporis agnita est opportunitas ordi-

nandi etiam cum titulo patrimonii ecclesiastici, cui occasionem praebuisse dicitur Alexander III. Tridentinum tandem tituli beneficii ecclesiastici saepe inaniter quaesito alios addidit, nempe pensionis et patrimonii, ita tamen ut beneficium constituat verum titulum legitimum et ordinarium, pensio vero et patrimonium exhibeant *merum titulum extraordinarium* ac veluti ex gratia et dispensatione (1).

En schema historiae ecclesiasticorum titulorum, quod melius complere poteris adeundo Thomassinum, aliosve antiquitatis christianae scriptores (2). Modo aliae exsurgunt necessitates, quibus ut satisfaciat valde adlaborat Ecclesia. Utraque titulorum species hodie pernecessaria. Verum in utraque raritas est et insufficientia. Quod peropportunum primis Ecclesiae temporibus erat, quibus ordinationes rariores fiebant et pro determinato ministerio, velut impossibile successive evasit. Succrescentibus fidelibus ampliata est sphaera ordinationum. Paupertatem dedecet clerum saecularem a Regulari diversum, qui nihil habet et omnia possidet. Ordinationes subsidiariae, recentius invectae sub titulis pensionum et patrimonii, tempestivam tulerunt opem. Beneficia enim per se non sufficiebant optato ordinandorum numero. Sed Ecclesia cleri numerum auxit supplemento tituli patrimonialis et pensionis, dum interim eiusdem etiam

(1) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 2 de Ref., et s. Congr. apud Fagnanum cap. 4, *De praeb.* n. 24.

(2) Consuli potest Thomassinus *vet. ac nov. Eccl. discipl.*, part. 1ª, et Devoti *Instit. Canon.* lib. I, tit. 4, sect. 2, in adnotationibus, quae spectant ad virum plus quam *Eminentissimum*, ut alios praeteream.

egestati occurrit beneficio, ut aiunt, competentiae, quo clericus damnatus ad solvendum, deducere potest victui necessaria. In utroque supra memorato titulorum genere Ecclesia, ut dixi, nunc penuriam patitur. Agitur enim de beneficiis? Sed quaenam, bone Deus? Apud multas christianas gentes beneficia ecclesiastica, sicut cera liquescens, evanuerunt, si demas parochialia et sita in ecclesiis cathedralibus, quae tamen ista vel ad modicam pensionem, vel redditus syngraphae a gubernio solvendos translata sunt. Neque magis obvius titulus est patrimonii ecclesiastici, quum agricolarum familiae, quae praesertim hisce temporibus cleri agmina instruunt, exigui sint census et valde numerosae. Verum est quidem, ad hoc sufficere etiam posse annuos redditus fixos, immo et capellanias amovibiles, certis concurrentibus conditionibus (1). Verum quot in christianis regnis disperierunt etiam hi tituli! Familiae autem, quae filios ecclesiasticae militiae concedunt, redditibus carent tum ex immobilibus, tum mobilibus, quae filiis tradant in sortem Domini vocatis.

Haec rerum tristissima conditio anxios sollicitosque tenet episcopos, quorum loculis inhiarunt eosque suffurantur nostrates latrones et proditores ut Iudas Ischariotes. Quos autem excogitabunt novos titulos praeter illos quos iam probarunt Concilia et Pontifices? Titulus paupertatis merito sufficiens habitus est pro Regularibus; ipsi enim vere nihil possident et omnia simul; possident

(1) Lambertini, *Notif.* 26, n. 4, 11; *Instit. eccles.*; Benedict. XIV, *Istruz. pontif.*, n. 9.

per monasteria in ditionibus catholicis, possident necessaria in charitate fidelium, quae numquam eis deficere visa est in catholica gente, dum inter haereticos vel infideles subsidiis iuvantur, quae ad eos mittit congregatio propagationis fidei. Verum hic titulus paupertatis suffragari haud valde potest clerico sibimet relicto, qui solus quum sit, si evadat labori impar, poterit in dedecus ordinis paupertatis squallore sordescere. Tamen alicubi Ecclesia ad eas redacta est incitas, ut s. Sedes facultatem quandoque episcopis tradiderit ordinandi clericos etiam saeculares titulo paupertatis. Quod quidem velut exceptio singularis habenda. Quaeri hic opportune posset, an deficientibus materialibus subsidiis admitti queat titulus personalis aptitudinis. Iure eum, extante Ecclesia in conditionibus normalibus, reiicit Prosper Lambertini (1). Quid enim haec profutura erit habilitas, si clericus ob infirmitatem aliamve causam fiat impos? Deinde an, ubi primum ordinetur clericus, tutum exhibet argumentum excellendi in ea personali qualitate, vel occasionem inveniendi, qua ad praxim illa deducitur? Ceterum hic titulus *personalis habilitatis* sufficiens quandoque habitus est ex apostolico indulto. Sic petentibus praesulibus ecclesiae provinciae Baltimorensis, s. Sedes facultatem impertiit ordinandi titulo missionum in infidelium partibus (2). Sed haec norma, in dies crescente latiusque pervagante Ecclesiae paupertate, extendi aliquantillum posset, admittendo ordinationes titulo etiam

(1) Notif. 20.
(2) Concil. provinc. III.

missionum in regionibus catholicis, vel in ipsa dioecesi, seu titulo praedicationis quadragesimalis, Exercitiorum spiritualium aut similium. Quinimo extendi etiam hi tituli possent convenienter ad àlia laudabilia exercitia, quae clericum non dedeceant habentem ad illa aptitudinem manifestam. Memoro officium docendi scientias et literas etiam in publicis scholis, nec non officium parochos coadiuvandi in opere ministerii, aliaque huius generis. Prae omnibus officia ecclesiastica vel moralia commemoro; quae sint communiora et facile accommodata cuiusque viribus, quaeque proinde sunt nullo negotio quaerenda et exerceri possunt, sanitate iuvante, a sacerdote quocumque. Ordinatio titulo determinatae parochiae vel canonicatus gignit nonnulla incommoda. Et primo anne certo praevideri potest, clericum ordinatum acquisiturum esse dotes necessarias ad pastorem bonum constituendum? Deinde si parochia iam vacans est, male expectatur longum tempus ut provideatur, fiat scilicet habilis ad curam ordinatus ad illam. Si vero adhuc sit plena, ordinatus ad illius titulum tentationi subiicitur optandi mortem vel remotionem ipsius provisi. Idem habeas de canonicatu. Ceterum istiusmodi beneficia melius assignantur sacerdotibus iam certo aptis ad laborem, vel egentibus aliqua condigna mercede, quam clericis quorum successus in studio, pietate, cura spirituali sit incertus. Haud ignoro, Sarpium, ut Tridentinum configat telo suo censurae, ordinationes reprobare factas cum titulo patrimoniali, eo quod melioribus Ecclesiae temporibus nemo ordinaretur, nisi in ordinatione ipsa peculiari ministerio addiceretur; neque me fugit,

illum etiam provocare ad chalcedonense Concilium, quod ordinationes *absolutas* et *vagas*, vetuit et ne quis promoveatur absque titulo peculiari ; dum interea non obstabat paupertas ascensui ad sacerdotale munus (1). Sed argumentatio ducta ab ecclesiastica antiquitate, dum prodest in dogmatibus, non ita etiam in disciplina cuius immutandae legitimae obvenerunt causae et competens intervenit auctoritas. Augescente in dies christiano populo, auctus est et clerus; et provide. Nam praeterquam quod ipsa opera ministerii sacri maiorem requirunt operariorum numerum, christianae reipublicae plurimum interest, ut clerus etiam pervadat gymnasia, hospitia educativa, caetera loca, ubi animae non desint Christo acquirendae. Officium etiam magistrale, cui in Athenaeis, in lyceis, gymnasiis, seminariis, municipiis annexum est stipendium, titulus evadere etiam posset aptus ordinationum. Hac certe de re momentosa nimis Vaticanum Concilium disquiret et decidet, dum interim episcopi pro casibus qui contingunt exquirent votum et facultates occurrentes s. Sedis. Titulo paupertatis in clero saeculari illum anteponimus alicuius officii, ad quod iuvenis ordinetur. Sic enim magis discet, sibi esse continuo operam praestandam etiam ad quotidianum victum comparandum. Animadvertas porro velim, supra memoratos titulos, ad quos ordinatur clericus, quaerendos esse in dioecesi, eademque officia titularia esse in dioecesi exercenda. Cui clericus alligatus manebit, tum vinculo obedientiae Ordinario promissae et debitae, tum obliga-

(1) *Hist. du Concile de Trente*, liv. 6 ex vers. Courrayer.

tione exercendi muneris, vi cuius fuit in ecclesiasticam militiam cooptatus. Quibus si addas sollicitudines in episcopis remunerandi dignos habita ratione meritorum et aptitudinum, opem ferendi egenis clericis, omnesque secundum cuiusque facultatem decenter collocandi, iam impedientur illae dioeceseos desertiones, quibus evitandis tantopere studet Ecclesia (1).

Senescens iam sacerdos, et corpore eius laboribus diutinis fracto, impos fit oneribus officii sui sustinendis. Quomodo eius necessitatibus obviam itur? Respondebis, eum, si beneficium babeat, posse eodem frui in statu etiam infirmitatis et impotentiae. Sed interim munia ipsa debebit obire per substitutum, praesertim si diu perduret incapacitas. Istud praestare poterit, repones, praeteritorum annorum parsimoniis et agglomeratis compendiis. Verum quid si haec desint omnino ob beneficii, ut saepe contingit, exiguitatem? Quid si officio suo omnino valedicere coactus fuerit et amplius non habeat unde se ipsum sustentet? Hoc in casu inedia tabescet, ni succurrat charitas vel providentia studiosa necessitatum. Hinc statim considerationi occurrunt opportuna illa hospitia, quae patent sacerdotibus senio confectis vel labore fractis, quin tamen necessaria suppetant vitae decenter transigendae. Iam haec hospitia invalidorum Christi militum provide erecta vides multis in dioecesibus; iam Romae florent, quae prior et potior civitatibus aliis in aperiendis egeno et misero cuiusque generis perfugiis. Consule eminentissimum Morichini,

(1) Quaestiones quae ab ap. Sede episc. propon. q. 9.

qui in laudato suo scripto de hospitio presbyterorum in alma urbe egentium loquitur (1). Verum dum laudibus effero hasce institutiones ac plaudo antistibus ac reliquo clero, cuius praesertim opera haec sunt erecta monumenta pietatis, moerens addo eadem si utilia valde, insufficientia omnino reperiri necessitatibus cleri. Contingere enim potest, ut aliquibus animus repugnet ingredi hospitalitatis asylum, ipsique malint domi pati angustam pauperiem, quam commodiorem transigere vitam in hospitio charitatis. Adde etiam, quosdam ita contractis domesticis habitibus haerere, vel in corporis incommodis ita egere famulatu personarum familiarium, quibus uti iam a pluribus annis solent, ut nequeant omnino abrumpere consuetudines versas in necessitatem naturae. Accidit ferme quod in domibus mendicitati apertis, ut nempe aliqui satius ducant victitare aegre panis frustulum ostiatim emendicando, quam victum suum certiorem reddere cum clausura. Sed quum commiserari oporteat etiam praeiudicia, quae fidem non attingant et morbi imaginarii, non minus quam reales, salutem possint concutere; quum insuper misera sit adeo hominum vita, ut durum sit magis vexare postremam eius periodum, ideo miserendum pauperculis sacerdotibus, qui aliquibus de causis forsan exageratis nollent extremum vitae in gerontocomio claudere. Atque hoc in casu satius foret manualia eis suppeditare auxilia, quibus possint decenter reliquum vitae domi cum liberali famulatu ancillulae vel coniunctorum opera transigere.

(1) Morichini, *Degli Istituti di Carità*, edit. noviss.

Sicubi autem existat praelaudatum gerontocomium presbyterale, optandum sane esset ut, mediante oeconomica cura, reliqua essent subsidia tradenda indigentibus infirmisque presbyteris, quibus vita communis, ob rationes phantasiae placitis magis quam veritati innixas, odibilis esset. Adsunt modo societates mutuae opis favore operariorum invalidorum, magistrorum aliorumque artem aliquam liberalem vel servilem exercentium; quidni similiter clerici deponendo mensilem obolum vel annuale contributum solvendo sibi comparabunt opportunum subsidium pro tempore egestatis et senii?

Lamentabar, et merito quidem, conditionem cleri, facti prae aetate et diutinis infirmitatibus impotis laboris non minus quam victus sibi comparandi; et exoptavi ut quibus desit baculus senectutis secundum carnem, iisdem non sit desiturum vel hospitium charitatis fraternae vel quo demumcumque modo solamen et refertiuncula in vespere, ut requiescere possint in pace. Est tamen quaedam vitae periodus in qua homo vel longo itinere vel curis fatigatus, magis sentit pondus consueti laboris, quin possit absolute dici factus illius impos. Episcopi et parochi hoc vitae stadium attingentes, quo tam dulcis videtur quies, possunt in labore temperamentum quaerere, dum habent a quibus iuventur. Canonici non sic, licet plerumque minus laboribus onusti. Inde mos illos a choro dispensandi, qui spatium quadraginta annorum laudabiliter in Ecclesiae servitio exegerunt. Quae vacatio a canonicali officio, corpore iam effoeto et aetate provecta, cum emeritis stipendiis benignitate Ecclesiae

fuit inducta et modo universim accepta (1). Et merito quidem. Quis enim miles post tot annos in castris actos non cupit sub laurorum umbra quiescere? Sed istud tempus providum mihi videretur breviare. Re enim vera quando primum constitutum est spatium quadraginta annorum, tunc forsan magis longaeva vita, certe fortior valetudo magisque inter labores infracta. Accedit quod antiquitus saepe contingebat, ut canonici eligerentur necdum sacerdotio inito, in praebendis maxime, quae, sicut non paucae, laicalis patronatus erant. Hinc beneficium, rationale admodum, quod aiunt iubilationis, illi assequebantur, qui canonici in iuventa et unice forsan choro sueti, facile poterant sexagesimum ingredi aetatis annum.

Non aeque hic favor emeriti stipendii illis arridebat, qui iuventute in opere ministerii vel docendi transacta parteque virilitatis, propter senectam canonicatus stallum, tamquam quietis prodromum, assequuntur. Praemium indulti choralis itaque ut plurimum arripitur a minus laboriosis, qui interdum etiam ad sublimiores gradus expeditius ascendunt.

Haec quamquam contingere possint praeter intentionem sacrorum antistitum, praeveniendum mihi hodie videretur tempus remissionis animi et quietis sacerdotibus choro quotidie addictis. Enim vero, si hodie vita hominum brevior et minus validae minusve duraturae corporis vires; si canonici plerumque eliguntur post

(1) V. Bened. XIV, *Notif.* 107, n. 46, et insuper Scarfantonium, Ferraris, Bouix aliosque.

calentem iuventam, vix est, ut perpauci beneficio illo senilis pausae possint frui. An consequetur illud canonicus theologalis, qui studiis solum adiutus et per concursum praebendam adipiscitur, choro interest ut alii, docet vel concionatur, saepissime non magis retributus quam caeteri cum solo degentes Breviarii pensu? Aut illud attingere poterit poenitentiarius, qui maturiore aetate laboriosam inchoat curam vitamque absumit sedens pro tribunali, ubi cum anxietate corda iudicantur? Adde quoque, hodie difficulter obtineri coadiutorum auxilium, praesertim obstantibus Guberniis, quae potissimum gloriantur effatis: *Libera Ecclesia in libera civitate; Libertas pro omnibus; Omnes aequales coram lege.* Decrescit etiam alicubi mansionariorum et capellanorum numerus, deficientibus mediis eorum sustentationi necessariis. Gravius inde chorale officium, graviusque ubi non multi canonici, et usus vel necessitas poscunt, ut canonici ipsi quotidie meridianam decantent missam. Pone virum, iam laboribus attritum, grandaevum, noctibus insomnibus fatigatum, mentis contentionibus suetum, longissimis antemeridianis choris, ieiunio naturali lassato stomacho, per hebdomadam continuam et amplius rem sacram confecturum circa meridiem; pone illum haud parum nervis laborantem; et si molestiam non patiatur ex hac abstinentia a gutta liquoris, dicito illi: Oh felix! Hisce praehabitis, haud ambigerem hoc modeste proponere: Qui velit, canonicos hodie magis, quia plerumque carent necessariis ad commode vivendum, posse frui indulto dispensationis a chorali servitio, is curet ut istud conferatur trigesimo anno vix emenso laudabilis

residentiae. Re enim vera Magistratus civiles nonne post triginta annorum labores quietam agere vitam sinuntur? Idem possis dicere de canonicis, iis praesertim qui sint laborioso officio addicti. Non videtur tolerandum, ut in eo perdurent ultra sextum lustrum. Regeres hic: sed infirmus vel lassus quiescat. Non ei relinquatur hoc iudicium, ne aegre iudicet et cum anxietate in causa propria, vel se exponat dicteriis eorum, qui libenter vident alios in pressura laborum, se ipsos tamen eximentes ab omni cura, quae maxime emolumentis vacua sit futura.

Ob Cleri paucitatem et populi excrescentis in turbas necessitatem, expostulatur magis canonicorum opera in cura animarum, Sacramentorum administratione, verbi Dei praedicatione, aliisque huiusmodi. Quo vero liberius valeant hisce oneribus humeros supponere, congruum videri poterit, ut eorum officia, maxime ferialia, ad maiorem redigantur simplicitatem et brevitatem. Hoc votum est s. Sedi propositum a nupero Concilio provinciali Parisiensi, cap. XVII.

CAPUT XX.

DE STUDIIS CLERICALIBUS.

Momentosissima res haec est et totis viribus promovenda. Semper interest, magisque nostris hisce temporibus, quibus mediocris scientia tantopere diffusa gignit incredulitatem sparsimque multiplicat, ut clericalia studia foveantur. Contradictores in dies multiplicantur; eosque oportet saepe saepius redarguere. Praestat iccirco

in theologia polemica, dogmatica et morali clericos progredi, cuius scientia inaestimabile adiumentum ducit a studiis biblicis et formam suasoriam delectabilemque haurit ab arte sacrae eloquentiae. Non fortuito memini theologiam polemicam, eamque potissimum, quae a sacra hermeneutica iuvatur. Nam scientiae ecclesiasticae tyrones, vel illi qui in catholicis regnis versantur, probe norunt, se quotidie ad certamen descensuros cum popularibus ipsis. Saepe enim accidit in ipsa Italia et praesertim in regionibus, ubi imius radices egit planta libertatis, arbor scientiae boni et mali, vel sutores et barbitonsores non solum explicare quosdam evangelicos textus more protestantium, sed etiam pantheisticis insomniis originem rerum et hominum declarare ope metamorphoseon, quae in metallis acciderint et bestiis. Sic libertas, quae se eximere cupiebat ab omni subiectione morali, educare coepit populum, quem assentatiunculis decepit, ut serpens Hevam, nec non aspectu fructus visu iucundi et sapidi palato. Verum Edeni succedet terra tribulis consita et spinis. Haud ignoro et fateor libenter, episcopos in seminariis dioecesanis praelaudata studia supra vires etiam promovere. Sed aliquid ultra desiderandum, quod an possibile sit, sicut optabile, viderint ipsi. Altiora ecclesiastica studia utilissima, ne dicam necessaria, esse quis non sentiat? Quis non fateatur, opportuna atque provida constituta esse centra christianae sapientiae, unde prodeant radia circum effusa per varia puncta determinatae sphaerae? Quis non praedicabit bona, quae ab universitatibus et praecipue a facultatibus Theologiae et Iuris canonici, summo Pon-

tifice auctorante et dirigente constitutis et docentibus, Ecclesiae obvenerunt? Illae vero, quae a catholico centro sunt disiunctae, praeter quam quod academicos gradus conferunt, qui nullius roboris sunt coram Ecclesia, ut iam abunde probavi (1), possent christianae societati fieri exitiosae, si auctoritas civilis quaedam praecipiat doctrinarum monstra, vel catholicis doctoribus os occludere nitatur. Non obstante episcoporum sollicitudine, clericalia studia pluribus in catholicis regionibus non levi plaga sunt icta. In iis enim sub atheorum regimine et lege athea, universitates, lycea, gymnasia corrupta sunt, deficiente terrae sale, seu catholico elemento. Massonismus omnia pervasit, foedavit cum ingenti Ecclesiae praeiudicio. Iam enim adest gravis aetas, quam s. Alphonsus et alii sunt vaticinati. Rebus sic stantibus, provide alicubi Universitates catholicae sunt erectae. Italia vero, in qua Providentia Dei constituit centrum catholicismi tam florens olim ob clericalia studia, nunc lamentabili laborat inopia. In subalpinis florebat paucis abhinc annis studiorum Universitas Taurinensis etiam theologica et canonica scientia praestans. Florebat et ecclesiastica Academia ad monumenta sepulcralia Regum sabaudorum posita, unde viri prodierunt doctrina insignes (2). Modo vero illa, frustra repugnante Albertino

(1) Pluribus articulis impressis in diario l'*Armonia* an. 1868 mens. Septembr., et Octobr.

(2) Prodierunt ex Albertina Academia Dominicus Guaico et Wilielmus Audisio qui ei praefuerunt, modernus episcopus Alexandriae et alter Augustae Praetoriae, quibuscum inveniebatur etiam auctor huiusce libri. Ibi etiam mansit scriptor vulgatissimae ephemeridis, et alii insuper laude digni.

Statuto, catholica esse desiit, altera vero funditus eversa. Quid de aliis universitatibus, quae ab Alpibus ad Pelorum, in continenti et in insulis, florebant? Vox catholica in omnibus silet. Extabat sola Roma ob universitates et scholas catholicas praestantissima inter urbes totius mundi. Sed iam et illuc legalis atheismus confertim tulit sordidam spumam. Florida studia catholica etiam ibi periclitantur, sicut periclitantur fides et publici mores. Pontifex in vinclis iacet, sicut Petrus in Neronianis. Sed exurget tandem exoratus Deus, et miserebitur Sion, *quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.*

Hisce in angustiis, quibus premitur Ecclesia maxime in Italia, quid consilii capiendum? Si nulla contigerit rerum mutatio, nulla spes salutis a tantorum malorum auctoribus. Minus malum foret absoluta libertas relicta vi oppressis. Sed haec libertas, saepe promissa, plerumque non sinitur, vel relicta revocatur statim. Nulla ergo spes si fulgeat melioris aevi, tentandum reparationis opus, opitulante charitate catholici orbis. Erigendae universitates catholicae, quae scientiam sanent peste infectam, et fontes aperiant aquae vivae iis in regionibus Italiae, ubi Cociti stagna alta vides et venenosam Stygem, et Phlegetontem turbidas volventem aquas. Lamentabilis parentum sors, quibus ne ulla quidem suppetit studiorum universitas, quo secure mittere possint dilectam prolem. Tres catholicae universitates in Italia suppares non essent salubribus pascuis italicae iuventutis. Res haec esset difficillima factu, vixque speranda, etiamsi novus rerum publicarum ordo adhuc longe maneret. Minus ardua foret erectio Facultatum seu Studiorum Theo-

logiae et Iuris canonici, quae clero magnopere prosunt. Sed ubi hoc coeptum etiam difficultatibus septum appareret, optarem ut, si quae sint facultates Theologiae et Iuris Canonici, quae professoribus instructae sanae doctrinae a Metropolita in cuius ecclesiastica provincia extent et a suffraganeis eius iudicentur integrae fidei, ab illo eodem archipraesule tamquam Apostolicae Sedis delegato illae sanari possent validique reddi gradus academici coram lege canonica. Sed quid si hi gradus conferantur nomine, non Pontificis vel eius Delegati, at venia principis, eoque auctorante? Putabisne, illos aliquam prae se ferre vim in conspectu Ecclesiae? Hic cubat nodus vix extricabilis; non enim Pontifex repraesentari solet a laica potestate saepe adversa. Ceterum quod attinet ad Athenaea subalpina, lis est dirempta ex legibus ipsis fundationis (1). Tandem arbitrarer, planiorem occurrere viam altiora ecclesiastica studia promovendi, instituendo seminaria centralia, non quidem in omnibus provinciis seu archidioecesibus, at saltem in regionibus principalioribus habita nempe ratione et civium numeri et locorum distantiae. Sic pro tota Italia sex saltem forent pernecessaria, atque ita distribui possent, ut unum v. gratia Mediolani sedens toti serviat Italiae septentrionali, alterum pro media Bononiae vel Florentiae aperiatur, duo vero alia pro Italia meridionali, ac duo tandem pro duabus maioribus insulis. In hisce vero seminariis conferendi essent Academici gradus pro theologia et iure canonico, auctorante nempe s. Sede,

(1) V. scriptum nostrum iam memor. editum in diario l'*Armonia.*

adeo ut inserviant capitularibus dignitatibus et officiis lauream requirentibus. Hoc periculum etiam foret non leve studiis sacris incitamentum. Postquam vero mihi arriserat idea hac ratione studia ecclesiastica promovendi, sensi, hanc necessitatem in pluribus agnitam esse catholici orbis plagis. Ita in postrema synodo provinciali Rhemensi praescribuntur cap. ult. pericula pro gradibus theologicis, qui dumtaxat valerent pro dioecesibus illius ecclesiasticae provinciae, sicut patet ex natura eorumdem institutionis, quum a solo R. Pontifice oriri possit Universitatum erectio et facultatum theologicarum, quae vim exerant in tota Ecclesia et ab ea probentur. Pariter Concilii provincialis Parisiensis Patres verbis ad s. Pontificem datis opportunissimam declarant rem instaurare theologicas disciplinas, in quibus recipiantur laureae aliique gradus academici, ut iuxta canonum normam ecclesiasticae dignitates conferantur solummodo personis hisce gradibus praefulgentibus. Tandem in Concilio provinciali Baltimorensi I quaesita est sententia theologorum de centrali seminario erigendo. Itaque utilitas institutionis non est in dubium revocanda, quum in ea commendanda concordent episcopi Europae et Americae. Quod si determinandus sit et numerus et locus horum clericalium lyceorum, intuendum est in vastitatem regionum, quantitatem habitatorum, facilitatem viarum, commodum libertatis politicae, aliaque huiusmodi relinquenda prudentiae practicae, qua solent abundare dioeceseon rectores.

Iam modo de studiis cleri dioecesanis pertractans, memini quanti intersit, ut clericus antequam sanctuarium

ingrediatur divinae scientiae, philosophiae praesertim rationali det operam ad probatos fontes accedens. Haec enim disciplina magnopere etiam usuvenit in rerum theologicarum tractatione, praeterquamquod intellectum acuit redditque speculationi aptiorem. Quomodo enim absque philosophiae adiumento, dum agitur de Deo creatore, quomodo plene refutabitur triplex illa pantheismi forma, quam iure proscribit Vaticanum I in Constitutione dogmatica de fide catholica habita in conciliari sessione III? Ipsamet recta intelligentia decretorum et canonum de fide, praesertim contra modernos pantheistas, materialistas, aliosque errorum consutores, nonne exposcit, ut probe teneantur philosophica principia? Quómodo sensus genuinus Concilii arripietur, nec trahetur ad fallacia commenta, ubi plane nesciatur, quid sit substantia, quid essentia, an haec et illa dici aeque possint de Deo ac de creatura, an ipsae unum idemque sint tum de Deo tum de creaturis? Post philosophica studia adeantur theologica, qua late patet dogmatum scientia morumque regula. Totum id sit panis quotidianus clericalis militiae. Adverte tamen, id etiam disci accurate non posse absque hermeneutica sacra, quae clavim suppeditat ad librum aperiendum mysteriorum Dei, neque perbene ad hanc perveniri posse intelligentiam atque ad omnigenam victoriam contra inimicos catholicae religionis absque subsidio sacrae philologiae, archaeologiae aliarumque scientiarum affinium. Sed de his iam satis alias (1). Modo potius de iure canonico eiusque studio.

(1) Haec omnia iam praeoccupavi pluries in scriptis, quibus

Obsoleta res videtur quibusdam ius canonicum, neque dignum amplius, quod cleri exerceat ingenia. Quaedam enim veterascunt mutatis hominum moribus aetatisque novae cupidinibus; plurima vero desierunt esse, quia leges civiles, quandoque civilis progressus fallaces ininterpretes, se se loco ecclesiasticarum, etiam ultra competentem provinciam, obtruserunt. Quo enim abierunt leges canonicae de immunitatibus personalibus, realibus, localibus, de beneficiis, decimis, nuptiis, caeterisque huiusmodi? Quid refert eas consulere de Regularibus, quum isti pene ab omni christiana societate sint repulsi atque in ipsa Urbe Roma iam periclitentur? Quid iuverit eas consulere de contractibus aliisque civilibus actibus, quum circa ista dominatum sibi unice, nec iniuria, tribuant laicae potestates? Quid eas de forma iudiciorum interrogem, quum pene evanuerit materia ecclesiasticorum iudiciorum?

Accedit, quod ubi laici non iudicent de *petitorio* seu de titulo iuris, iam praesumant, fori usum vel abusum praetendentes, saltem de *possessorio* iudicare, quod absorbet quandoque, ut barbare aiunt, in eorum tribunalibus petitorium ipsum. Unde iurisdictio ecclesiastica seu applicatio legum canonicarum iam pene visa est obsolescere. Hinc ius canonicum, iam magna ex parte effoetum, fere dicendum littera mortua, quae nescio an sit resurrectura ante diem iudicii. Quapropter nonnullis placeret, ut novum corpus iuris canonici conflaretur,

tituli: *Prima settimana del mondo, Corso di studi biblici, Enciclopedia biblica, Cleropedia sociale.*

quod ab omnibus expurgatum constitutionibus vel canonibus in desuetudinem lapsis solum partem vivam referret semperque vitalem, atque ita mentes non gravaret decretis, quae modo solum ad partem historicam scientiae vel legislationis spectarent. Quod quidem novum iuris ecclesiastici corpus, seposito Gratiani Decreto, quod tamen scitu utile est semper, retentisque aliquibus Decretalibus Gregorii IX, Bonifacii VIII, Clementis et Iohannis, Conciliis Tridentino et Vaticano, volumen conflaret non immodicae molis, facile comparandum a Clero et discendum. Haec idea aliquibus arridet: nostram modo aperiemus sententiam.

Atque primum eos secernimus, qui uberiores haustus ex sacris scientiis derivare possunt ac debent, ab aliis, qui in officia vitae pastoralis effusi, vix scientiam a longe salutant, primissima eius elementa solum adepturi. Priores non exiguam utilitatem haurire poterunt e studio iuris canonici, prout modo suis in fontibus extat. Decretum Gratiani, quamvis nullam possideat auctoritatem extrinsecam, ab ea nempe distinctam, quam prae se ferunt documenta singula in unum collecta, ob horum tamen praestantiam, non modicum proficiet, quum in eo volumine flos contineatur antiquae sapientiae christianae. Esto quidem, monachum Gratianum, propter defectum criticum, qui erat defectus temporis, aliqua intulisse in Decretum suum, quae minus sincera et authentica minus possident auctoritatis. At canonum studiosus genuina a spuriis, utilia a futilibus secernere valebit, perpendens criticas observationes, quas Antonius Augustinus et Sebastianus Berardus ediderunt. Maior autem profectus

eruetur a Romanorum Pontificum epistolis decretalibus, in quibus ea maxime sapientia emicat civilis iuris etiam, quae Romani iuris temperavit cruditatem. Innocentius III, Gregorius IX, Bonifacius VIII et alii nonne fuerunt christianae sapientiae luminaria magna? Si ius canonicum in fontibus inquiratur ab iis relictis, profecto magis effulgebit ipsius philosophica prudentia, magisque intima ratio legum. Perpendatur historia Pontificiorum responsorum, quae ius constituunt universale pro Ecclesia; et quisque videbit, aliud haud posse excogitari sapientia laudabilius atque adiunctis omnibus in facti specie existentibus accommodatius. Qui igitur studiis ecclesiasticae legislationis dant operam, nunquam negligant uberrimos hosce fontes. In praesentia multi scientiam arripere vellent cursim, vere homines volatici atque laboris impatientes. Iurisconsulti fieri praesumunt, ubi solum didicerint quaerere in nupero Codice articulum legis, qui ad rem faciat, nulla habita ratione Pandectarum, quae sunt monumenta gravissima philosophiae, quaeque normas continent hermeneuticas pro recta intelligentia ipsarum legum recentium. Non miramur propterea, quod a paucis annis graves iurisconsulti (1) sint lamentati confectionem modernorum codicum, satius esse ducentes, ut non extarent. Tunc enim iurisconsulti ad gravia magis et latiora studia prosilirent, atque ius romanum non parvipenderent, ut hodie fit a multis. Qui enim patrium codicem dumtaxat callentes

(1) Sic inter caeteris sensisse mihi videtur Savigny, ut alios mittam.

more causidicorum, proxenetarum, patrum familias, et maximopere Iudaeorum, et hac scientiae scintillula contenti, aggrediuntur de meo et tuo intricatissimas quaestiones, ii profecto plus praesumunt, quam sciant; sacrorum canonum vere studiosi, non quaerunt scientiam iis in enchiridiis, quae vix discentium popello sufficient. — Pro maiori tamen Clericorum numero non parum utile foret iuris canonici manuale, quod parcius digestum, novum corpus iuris ecclesiastici efficiat. Quod contineat necesse est partem vivam, eamque potiorem, et Conciliorum et constitutionum pontificiarum. Hac enim scientia munitus vir ecclesiasticus satis poterit tutus incedere in medio communiter contingentium.

In episcoporum adiumentum Clerici suo tempore fient verbi Dei praecones. Ad quod officium requiritur non modo scientia rerum sed et elocutionis, sacrae nempe eloquentiae possessio. Qui sciverit, sibi prodest; proderit et aliis, quando sciverit aliis communicare rerum divinarum scientiam. Ad hanc autem scientiae transfusionem non requiritur modo ut ipsa clare tradatur, sed etiam ut illius communicetur gustus et amor. Scientia enim fidei, ut fructus suos afferat in tempore suo, dubio procul est amanda. Non minus autem est amanda scientia morum, utpote quae recta via contra pravas animi procedit cupiditates. Amor est amori obiiciendus, amor nempe legis amori vitii, qui ut gluten tenacissimum adhaeret animae. Ars omnium difficillima et excellentissima ea est, quae animos vitiorum lenociniis imbutos liberet a pravo amore eosque extollat ad amorem legis seu divinae voluntatis. Id praestabit, qui

christianae eloquentiae artem calleat, maxime vero qui fortiter in se sentiat, quod velit in alios traducere. Patrum gloriosa sectentur vestigia, qui vocantur ad evangelizandum; ab iis discant simplicitatem, evidentiam, magniloquentiam. Simplicitatem, quae nunquam tamen decedit a maiestate verbi Dei; evidentiam rationis, quovis haec pertingere possit, evidentiam fidei, vel potius fidei profundam quietamque subiectionem in his quae captum mentis exsuperant; discant magniloquentiam qua verba conceptibus aptentur ut vestes corpori. Sed antiquiores reveriti, non dedignentur recentiores, quos inter eminent Segnerius, in Italia facile princeps, in Gallia plures, maximeque notissima trias.

Alia est studii ratio quae omnino placere debet, omnino necessaria, caeterorum autem atque ipsius pietatis condimentum. Quid enim proderit scientia ac pietas rustica et incondita in eo, qui operam navare debeat non propriae tantum sed et aliorum sanctificationi? Scientia igitur et usus civilis conversationis est in Clero desiderandus. Si isthaec non possideat, despectui magis habebitur et odio; sicque eius ministerium reformidabitur in vita et in morte. Morum comitas, qua de agitur, componenda est cum gravitate, quae a sanctuario ad plateas, quo vocet ministerium sacrum, est deferenda. Atque hinc quisque noverit agendi rationem, quam clericis respectu laicorum commendarem. Profecto non eis suaderem, ut tam frequenter illis utantur nostra hac aetate maxime, qua plures ut indifferentes, alii ut contemptores se gerunt respectu Cleri eiusdem. Nollem tamen illos fugere a conspectu saecularium velut a fa-

cie colubri, sique rationabilis causa id poscat, ad eos se conferant agantque urbaniter cum iis. Charitas enim facit se omnia omnibus, non aversatur non reformidat quemquam. Hac agendi ratione Clerus aliquam semper servabit auctoritatem moralem erga alios. Exemplum sibi proponat, quod sequatur in divino Magistro, qui omnibus accessibilis, cum peccatoribus versari non erubescebat, quique dum nemini se negabat, non mulierculis, non parvulis suae dignitatis decorem sustinebat vel coram personis in dignitate saeculari constitutis.

CAPUT XXI.

QUAEDAM CLERICIS VETITA AUT VETANDA.

Non ii sumus, qui velimus hic quoddam veluti cleropaediae praebere documentum: non enim tractatus instar scribendi nobis animus est, sed quaedam solummodo memorandi, quae probabiliter mente revolvent Concilii Patres, legem universo populo christiano laturi. Clericorum, qui terrae sal condiendis christiani populi moribus sunt, vita et honestas maximopere commendatur a SS. Canonibus, qui illos urgent praeceptis et vetitis specialibus, quae nempe laicos nullatenus attingunt. Clericorum vita specialem debet olere gravitatem et modestiam, quae videantur etiam in habitu clericali convenienter expressae. Hinc vel ab antiquis temporibus vestes ecclesiasticorum distinguebantur a laicalibus, non solum dum illi sacrum in ecclesia facerent, verum

etiam extrinsecus in vita communi. Vulgo origo clericalis indumenti ita solet explicari, ut scilicet postquam Langobardi Italiam occuparunt usumque brevium vestium introduxerunt, laici huic se mori accomodarunt, dum interim Clerici oblongas retinuerunt vestes Romanorum. Sane haec habitus forma magis dignitati et modestiae congruit, Orientalibus accepta atque a modesto sexu ubique fere retenta. Longe tamen ante synodum Agathensem et saeculum, in quo explicatius discrimen apparuit inter clericales indutus et laicos, vestigia occurrunt huiusce differentiae, quum Concilium Carthaginense IV iam saeculo IV can. 45. indicat: *Clericus professionem suam et in habitu et in incessu probet* (1). Recentius vero delatio specialis habitus clericalis fuit graviter inculcata. Id generalibus verbis effecit Concilium Tridentinum Sess. XIV, cap. 6, de Ref., quod loquitur de vestibus ordini clericalis congruentibus, quarum tamen determinationem relinquit episcoporum iudicio. Si itaque demas habitum talarem nigri coloris, caetera variant pro regionum varietate. Quae varietas praesertim conspicitur in pileo. Quod orbiculatum in Gallia, Germania aliisque locis, bicorne atque in longum ante et retro protensum ut navicula in Hispania, tricuspis atque ad instar tricornii efformatum apparet in Italia. Ubi etiam varietates cernuntur scenographiae. Videres enim pileum

(1) Cons. hac de re Thomass. *Vet. et nov. Discipl.* tom. I; Devoti, *Inst. Canonic.* lib. 4, tit. I in eruditiss. notis; Mozzoni, *Tavole*, ecc. Sec. 6, nota 7.

compressius in alis pendulis et magis acuminatum in angulosis prominentiis penes subalpinos ita ut galerum tibi conspicere videaris Ludovici XIV; arrectius autem et brevius apud Longobardos, fornicatum in diatreto apud Romanos aliosque. Quod probat, originem huiusce teguminis accidentalem potius esse atque in usibus, modo obsoletis atque historicis.

Liquet ex haetenus dictis, opportune Concilium oecumenicum, generalibus monitis contentum, abstinere a clericalibus indumentis minutim praescribendis, non enim eadem vestiendi forma ubicumque sine admiratione gestaretur. Sic pileus bicuspis vel tricuspis, qui Matriti vel Florentiae pertransiret absque nota, Parisiis vel Genevae cunctorum ad se vocaret intuitus. De habitu clericali particulatim dicere spectat potius ad concilia provincialia et dioecesana. Ita mediolanenses synodi s. Caroli membratius de hac materia disponunt, quam Concilium ipsum Tridentinum. Laicalia indumenta eiusdem plerumque sunt formae in Occidente, nempe penes omnes gentes civiles utriusque hemisphaerii. Clericalia non sic. Sed facilius possent evadere uniformia, positis nonnullis accidentalibus mutationibus. Verum priusquam nostrum proferamus iudicium de uniformitate clericalium indumentorum, dicimus eam in quaque dioecesi tenendam esse formam quam placuerit episcopo in synodo vel extra determinare, eumque inexcusabilem esse, qui absque gravi causa ausus fuerit ab illa recedere. Violatores legis dioecesanae vel consuetudinis legitime introductae sunt certo reprehendendi. Nosque iampridem leges ecclesiasticas circa hoc obiectum, quod minimum

aliquibus videbatur, defendere nisi sumus (1). Verum legum respectus, cui deficiemus nunquam, nobis non eripit libertatem aperiendi sensa nostra quoad pileum et femoralia. Non certo consulemus aestheticas leges, sed tantum commoda, convenientiam et caetera eiusmodi. Si eadem ubique tum pilei tum femoralium forma esset adoptanda, italica, nostro iudicio, haud praevaleret. Pileati enim in Italia clerici ita incedunt, ut nec ab imbre ob alarum torsiones, nec a solis telis ignitis ob demissas cupas habeant validum tutamen. Quando vero curribus feruntur volantibus super vias ferro signatas, tunc et secum et cum aliis decernunt cornubus arrectis. Provido itaque consilio videntur clerici gallicani deseruisse pileum efformatum adinstar illius quo cooperiebatur Rex ille dictus magnus. Nec etiam universalis fieret usus femoralium ad genua desinentium. Non enim omnibus placet haec forma, quae requirit tibialia cruribus adhaerentia, quae sive serica sive non, minus velant poplites carneos et suras, minus tibias hastiles, minus arcent frigus, si ocreae non succurrant, maioreque pretio constant, non sine onere clericorum pauperum, qui ideo vel inconcinni procedunt vel plus aequo impendunt in planta pedum amicienda quam in coronide captis velanda. Insistendum in medio: nempe vitanda levitas et scurrilitas in habitu clericali, atque linquenda choreographis, aleatoribus, circulatoribus, iisque quibus suprema lex est parere mobili phantasiae illius, quam dicunt *La Moda*. Sed et fugiendus neglectus atque sordities. Gravitati autem

(1) In periodico fol. *Fede e Patria* 1848.

et decentiae non videntur officere feminioruralia ad calceolos usque producta, quaeque udonum ac impilium locum sumant. Consultum ita foret rationi tum oeconomicae tum igienicae in frigidioribus praesertim regionibus, immo fortasse etiam ipsi decentiae. Haec ceterum innuere satis est, ut nota evadant aliquorum desideria, qui dignitatem et decus ordinis vellent componere cum rationibus commodi et parsimoniae. Utraque tamen haec ratio nullius esset ponderis, nisi accedat consensus Ordinarii, cuius est pensitare vim argumentorum hinc et inde certantium. Synodi itaque provinciarum et dioeceseon litem dirimant. Nos dum habitum talarem et romanum commendamus, nullam reprobamus pileorum rationem, non tricuspidalem cum variis formis in Italia inolitis, non hispanum adinstar naviculae conflatum cum prora et puppi (1), acuminatum atque non minus cornupetam quam italum, non pastoralem et latum francorum, non cylindricum et clatum germanorum.

Vita non modo sceleris pura, sed et quae omnino suspicione careat labis, quum in clerico requiratur, efficit ut eidem interdicatur cohabitatio cum feminis, ne cognatis quidem exceptis, si hae pravos habeant mores aut valde suspectos. Quum autem vix clericus rem familiarem gerere possit absque feminae societate et famulatu, hinc leges dioecesanae sinunt ut ancillae adhibeantur quae iam dimidium aetatis attigerint, ac proinde morum gravitate et habitu castitatis fortiores redditae minusque venustae, fiunt sibi minus periculosae et aliis.

(1) Talis etiam forma pilei pontificii.

Leges itaque et consuetudines dioecesanae temperarunt absoluta vetita antiquiorum canonum. Quorum instar eminet Nicaenum, quod statuit nemini, *qui in Clero est, licere subintroductam, nempe extraneam, habere mulierem.* Singularis autem hac de re est canon Hispanicus, qui ita praescribit: *Clericis non cohabitent mulieres neque ancillae, immo ancillae clericorum vendantur, et pretium earum detur pauperibus* (1). Singularem dixi canonem istum, quia praecipit ancillae venditionem potius quam manumissionem. Sed habenda ratio est temporis et loci et personarum. In regione illa, in quam irruerunt Visigothi et Mauri, adhuc vigebat servitus, quam christianismus ubique abolevit, nomine libertatis qua Christus nos donavit, sed tamen tolerabat ne socialem gigneret confusionem. Ancillulae, quae manumitteretur, providendum erat ita, ut posset a vinculo servitutis soluta vivere. Locatio operum cum libertate personae tunc difficilior, quum omnia praestare soleret opera conditio servilis. Clerici autem plerumque impotes consulere in perpetuum victui ancillae ad libertatem vocatae. Malum quod tolli non poterat, reddebatur sic minus et boni productivum. Ancillae quaerebatur dominus minus ei periculosus, quia fortasse uxoratus vel senior. Pretium autem divenditae famulae, quae in ea conditione versabatur ut egeret novo domino vel domina, non incidebat in crumenulam imprudentis Clerici, sed pauperibus erogabatur. Clericus autem, qui dominium ancillae amittebat et eius pretium, sibi poenam debebat imputare. Iusta

(1) Concil. Prov. Hisp. sub Pelagio II.

haec erat poena, quae etiam, quod erat maxime spectandum, valde poterat clericos removere a periculoso consilio sibi feminam adsciscendi pro famulatu. Nempe finis obtinebatur providae legis et bonum charitatis providebatur. Ancilla, si in plenam libertatem vocari potuisset, victui postea necessariis carens, liberius domum antiquam repetere, vel saltem frequentare cum aliquo praetextu ausa esset. En philosophica methodus, qua exponendi essent veteres canones magis censura notati.

Clericos dedecet emendicare victum, non item illum quaeritare labore manuum suarum et honesto artificio exemplo Pauli, qui scenofactoriam artem exercebat ut panem sibi compararet. Minus tamen illis conveniret negotiatio, qua nempe quis sibi eo animo rem comparat, ut eamdem integram nec mutatam pluris vendendo aut permutando lucretur. Haec vetita negotiatio exerceri potest etiam alieno laici nomine et per interpositas personas. Plures vero sunt actus qui negotiationis quidem speciem exhibent, non autem rem, ut videre poteris in analogis s. Congregationis decretis (1). Quaesitum postremo fuit, an liceat clerico acquirere titulos vel actiones ut aiunt, *della banca in commandita* vel etiam *viae ferreae*: et responsum est negando, quum haec omnia requirant actus commerciales et secum afferant lucri divisionem. Quod ita senserit s. Congregatio episcoporum et regularium relatum habes in *Analectis iuris pontificii* an. 1864. Si quis autem sibi comparaverit schedas, quas

(1) V. multa decreta s. c. Concilii a Fagnano relata l. 3. Decret. *De Cler.* vel mon. C. Multa (c. 1, n. 26 etc.)

vocant debiti publici absque intentione negotiandi vel lucrifaciendi, easque videns longe cariores quam ipse emerit, easdem divenderit, pauloque post cernens easdem pretio minutas emerit in maiori quantitate, et sic deinceps, erit ne reprobandus ut negotiator? Non video, praesertim si abfuerit ab eo intentio lucri et anxia ea sollicitudo, distractio, quae hominem prodit negotiosum. Sortem revera suam impendit in rem fructiferam, quae minus exigit curarum et laboris. Lucrum quod ei praeter modicas usuras obvenit ex augumento sortis, est fortuitum poteratque deesse, immo iacturam ipse non modicam pati. Adde etiam caedulam succrevisse domino suo, quemadmodum contingere potuisset et legitime contigisset in suo fundo recens quaesito. Emolumentum autem fortuitum quod clerico in hoc casu obveniret, citra cuiuspiam iacturam contingeret. Publicum immo aerarium augescit ex multiplicatis acquisitionibus titulorum quos emisit.

Non minus quam negotiatio vetitae sunt Clericis usurae, et quidem sub gravibus poenis, sicut et laicis. Doctrina Ecclesiae de usuris, quippe quae iuri naturali innititur legibusque immutabilibus iustitiae, semper eadem est. Quomodo ergo nunc remissior videtur quam quae saeculis elapsis obtinebat? Non est profecto immutata doctrina immutabilis Ecclesiae. Immutata est conditio commercii, quod ubique gentium, et quidem intensius exercetur; immutatus est valor pecuniae, quae nullibi otiosa relinquitur, quum quisque possit in ictu oculi eam utiliter collocare. Nemo hodie, dempta illa pecunia quae in scrinio asservatur ob casus contingentes, pe-

cuniam otiosam domi custodit ob cultum chartae emporeticae, quae a tineis demolitur et ab uligine absumitur. Hodie immo etiam sine deposito in arca domestica potest obviam iri contingentiis quibusque, nam illa ipsa pecunia, quae vel in schedas fructiferas conversa fuit, vel trapezitis relicta depositi titulo, quotidie potest recuperari. Hoc pacto quae summa fructificat penes alios, eadem et nobis proficiet urgente necessitate. Dici itaque potest, nullam proprie hodie remanere otiosam pecuniam, quum utiliter de die in diem collocari queat. Ideoque tituli mutuo extrinseci, qui iustificant receptionem usurae, vix poterunt abesse. Titulus autem legalis, cui innititur fructus mutui, praesupponit titulos lucri cessantis vel damni emergentis, qui nunquam pene deficiunt. Quod si lex civilis non definiat quantitatem usurae sed relinquat eam liberae conventioni contrahentium, ipsis relinquit iudicium de quantitate ipsa lucri desinentis vel damni contingentis. In qua mensura libere coram lege civili determinanda si excedat mutuans cogendo mutuatarium ad solvendum plus aequo, procul dubio in charitatem delinquit et in iustitiam.

Clerici et laici par est conditio in conspectu legum cohibentium usuras. Aviditas tamen immodici lucri magis scandalum pareret in illis, quam in hisce postremis. In quibus minus sordescit avaritiae peccatum, in illis vero intolerandum prorsus. Usurae itaque prohibitae in clericis et in laicis, deformiores tamen in primis. Quod si in pacto de solvendo fructu numeratae pecuniae absit usurae labes, nulla quaestio. Ubi vero conventio non sit foeneratitia sed ad modicum tantummodo lucrum perlata,

quod vix compenset damnum emergens, et hoc ipsum velisne clerico interdictum? Saepe is victum haurit ex sorte, quam mutuatus est. Coges ne eum pecuniam impendere in rustica praedia, quorum fructus eius non sufficiant necessitatibus? Puto, rem laudabilem acturum esse, si contentus foenusculo praebeat mutuo pecuniam suam, sicque fratrem liberet ab unguibus foeneratoris immodici, dardanarii iugulatoris pessimi, societatis humanae hirudinis, quae post pastum plus esurit quam antea. Sed hac de re est uberius dicendum, quum norma prorsus sit statuenda pro clero et populo. Dicam itaque liberrime quid sentiam, salvo iudicio doctiorum, in primis vero Ecclesiae.

Reciproca se charitate prosequentes christiani, eamque traducentes in opera mutuae benevolentiae, vinculis obligantur in dies arctioribus: quae vincula a Deo patre constituta inter fratres relaxantur, defectu charitatis, penitusque rumpuntur offensione iustitiae. Ad charitatem iustitiamque simul refertur mutui contractus. Interdum enim ex charitate tenetur quis mutuum praebere relativa indigentia presso. Semper autem, in quemcumque conferatur nostra pecunia, est iustitia servanda. Recipere pecuniam ex mutuo semper visum fuit iniquum, mutuum enim ex se se gratuitum, ex se infructifera pecunia, ab hominum industria semota. Hisce principiis mordicus adhaereo, quia sunt iuris naturae dictamina et Ecclesiae sigillo communita. Mutuum ex charitate descendit, alteri enim tribuere quae ei necessaria nobisque sunt inutilia, ius ipsum naturae suadet (1). Mutuum in

(1) Tullius, *De offic.* lib. 1, § 16.

accipientem transfert proprietatem rei, quae icciroo ei perit, etiamsi casu fortuito pereat. Si proficiat, proficit et ei, qui dominium quaesivit et industriam ponit. Haec mihi sole clariora, quidquid edisserat Mastrofinius (1). Mutuum itaque ex se gratuitum est. Sed numquid, quaeres, sortem meam (quam bene sors dicitur pecunia mutuo praebita!) in discrimen gratis adduxero, ut mutuam ponam? Quam raro deest periculum istud hodie maxime in tanta divitiarum luxatione! At pecuniam mutuatam non certo granditate foenoris tutius recuperabis, sed potius alia via legali. Periculum autem non phantasticum intellige, at prudenter formidatum etiam a non formidolosis. Necesse est insuper, ut compensatio mensuram non praetergrediatur timoris. Pecunia insuper est de se infoecunda, et foecundatur industria mutuatarii, quae ei debet unice prodesse, ut docet s. Thomas (2). Quam facile tamen in praesens posset ab ipso mutuante foecundari? Quae enim requiritur sagacitas ad constituendum depositum fructiferum, cui praesto sunt omnium nummulariorum vel trapezitarum mensa, vel argentariorum telonia? Ne dicas autem, hodie propter superius exposita communiter doctores recedere a rigida interpretatione evangelicae legis, quae damnat lucrum ex mutuo nisi propter hoc cesset lucrum vel damnum exsurgat. Dixerim potius hodie, vix mutuum stare posse sine vel cessatione lucri vel damnificatione. Re enim vera pecunia, quam quis possidet, hodie vel ita impenditur ut fructum ferat,

(1) *Le usure libri tre.*
(2) S. Thom. in 4, disp. 37, quaest. 1, art. 6.

vel servatur tamquam necessaria pro casibus qui occurrunt. Primo casu si ea mutuo gratuito donetur, adest lucri privatio vel damnificatio, in secundo vero oritur praeiudicium hoc sensu, ut pecunia mutuo tradita uti non possim pro casu emergenti, nec possim eam recuperare, nisi transacto tempore mutui, vel forsan non paulo post nec sine impendio et litibus. Deesse nempe potest hoc in casu pecunia ad occurrendum necessitati obortae et securitas rem meam recuperandi. In casu itaque concreto vix desunt hodie duo tituli pecuniae foenus honestantes. Et aio vix; quis enim nunc, in tanta victus caritate, tributorum exuberantia delectatur repositam in scrinio asservare chartam, quae vel comburi potest aut veterascere? Vel minima pars seponitur pro remedio in adversis, quum etiam impendia pecuniae haberi possint et ipsamet pecunia repeti quandocumque, obveniente necesssitate. Mitius nunc doctores cum mutuantibus agunt, vel agnoscendo efficaciam tituli legalis, vel habendo usuram loco tributi illis impositi a gubernio ex necessitate promovendi mutua tam necessaria commercio (1).

Romanae item Congregationes non inquietandos responderunt usuram vicesimam, a lege civili statutam, accipientes, dummodo sint parati stare mandatis. Quid itaque? An exoleverunt principia bullae: *Vix pervenit?* Dixerit nemo hoc ipsum. Mutatae sunt potius conditiones commerciales et pecuniae ipsius. Modo panis gentium

(1) Praeter mem. Mastrofini, benigniorem sententiam, variis tamen rationibus ducti, amplexi sunt A. Taparelli, et ante eum La Luzerne, Bolgeni, Maffei, ut caeteros mittam.

commercium est; modo pecunia non patitur obrobrium sterilitatis. Post responsa s. Poenitentiariae R. Casuistae non amplius haerent in admittendo foenore legali seu a patriis legibus determinato, si poenitens paratus sit stare mandatis. Sed quid si lex non determinet quantitatem mathematicam usurae sed eam potius relinquat voluntati contrahentium? Revera aliqui codices hodierni a libera partium conventione repetunt usuram, quae olim legalis erat. Vel potius *conventionalis* modo *legalis* facta est. Tunc vero memorati Codices usuram vigesimam determinant, quum nulla determinata sit a contrahentibus ipsis. Determinatio autem isthaec quum sit tantum subordinata, hypothetica, suppletoria, proprie non constituit normam tituli legalis. Unde in hoc casu usura legalis est *conventionalis* a lege indeterminata. Quomodo vero istud? Putarem circa ipsam habendam esse illam aequitatis normam, quae caeteros regulat contractus. In sumenda autem norma quantitatis usurae spectandus valor caedularum debiti publici, mos timoratorum, periculum in dies succrescens sortis et caetera eiusmodi. Quae tamen omnia satis evincunt, non esse contra aequitatem usuram attollere supra vicesimam. In ea vero statuenda valde anguntur confessarii, qui ab alto exactiorem normam videntur expectare. Nos, ut in omnibus, in hoc etiam admiraremur Ecclesiae moderationem et sapientiam. Illa enim non modo spectabit pecuniae hodiernae quamdam velut insitam activitatem, quae quomodocumque impensa vel ubivis locata fructus parit in tempore suo, sed animadvertet optandum etiam maxime fore, ut pecuniae possessores illam mutuo tra-

dant cum aequa usura proprietariis egentibus, qui alioquin decident inter avarorum ungulas rapaces. Potior ratio coercendi hos fraterni sanguinis potatores esset inducere honestos possessores pecuniae ad hanc mutuo dandam pro ea usurae quantitate quae respondeat hodiernae commercii conditioni. Hic itaque animadversum velim, usuram seu auctarium ultra sortem, *compensatoriam* potius quam *lucratoriam* esse dicendam. Quis enim modo, praeter angustam mensuram purae necessitatis, reconditos in cassa nummos teneat cum obvia occasione illos multiplicandi absque labore? Dici iam fere potest, pecuniam evasisse ex se se fructiferam. Ut talis sit satis est eam asportare e loculo suo in quodcumque telonium. Si gratis mutuatario tradatur, certum est damnum, neque minus incertùs exitus rei propriae repetundae. Rebus sic extantibus, asserimus, Clericos piosque fideles opus bonum acturos, ubi nummos frugi destinatos impenderint potius in mutuis favore honesti proprietarii, quem urgens premat necessitas.

Quae superius innui, non excludunt ommino casum mutui absque lucro quod cesset, vel damno quod emergat. Casus pecuniae absolute stagnantis non est mere hypotheticus nusquam gentium, immo frequens occurreret penes gentes minus civiles, minusve commercio deditas. Rebus sic stantibus, desiderium quorundam, ut concilium vaticanum definiat honestatem foenoris ex mutuo proficiscentis saltem in mediocri mensura, non videtur avidis auribus excipiendum. Prohibitio usurarum seu lucri praecise vi mutui percipiendi nititur iuri naturae et divino positivo, ad quorum amussim confectum est

ecclesiasticum et digesta fuit saeculo elapso Bulla *Vix Pervenit.* Recentiores Romanae decisiones non innuunt temperamentum in principiis immutabilibus iustitiae, quae inexorabilis est in quaestionibus definiendis de *meo* et *tuo*. Probant potius mobilitatem titulorum, non excepto legali, qui honestant lucrum foeneratitium. Quum autem haec conditio titulorum aeque non appareat in toto christiano orbe; quum illi insuper varient, modo nempe adsint modo cessent, varientque in ipso gradu et mensura, quis ponere velit regulam generalem de mutuo eiusque lucro? Statuta generalis Concilii obtinent in toto catholico orbe, debent itaque non tantum esse vera et iusta, ut infallibiliter sunt, sed omnibus pariter convenire. Porro eadem non est ubique conditio monetae et mobilitas. Adeatur ergo pro casibus specialibus forum s. Poenitentiariae. Quod iudicat rationem habendo omnium titulorum et circumstantiarum. Ex cuius tamen responsis regulam conficere poteris, qua ductus recte iudicabis in haud absimilibus facti speciebus.

Posui supra casum clerici validi simul et pauperis ita, ut nec de altari trahere satis possit unde pascat in meridie et ad solis occasum. Contingere enim potest, ut alicubi paucissimi sint clerici et simul eis alimenta sint desitura. Rari nantes in gurgite vasto christianae societatis, adhaerentes immo stabili officio, interdum egere incipiunt. Quid agent? Mendicare erubescunt et dedecet, fodere non valent, nec reliqua iis est gleba, quam atterant. Quid ergo agent ut quaestum faciant victumque sibi parent? Fasciculos ne foliorum agitabunt vel eis ludent? Vetita haec quaestus genera, uti et quaedam

mundana solatia. Neque eis commercia proponerem, quae sunt a canonibus reprobata, animum nimis alliciunt atque ad mendacia trahunt. Indigentia laborantes, neque a fidelibus fortasse egenioribus satis adiuti, possent utique artem liberalem, quae tamen nec vetita sit nec inconveniens, exercere, ut pueros litteras edocere, legalia exhibere consilia atque id genus alia, artem salutarem profiteri, quae tamen non urat neque secet, immo mechanicam haud indecoram, ut diximus iam. Adverte tamen quasdam artes liberales, a canonibus permissas, a legibus civilibus vetitas esse iis qui non sint laurea vel diplomate muniti. Dices, exercitium artis mechanicae coniungi negotiationi, studio aucupandi quaestum et concertandi de pretio, quae omnia occasionem praebent mendaciis fundendis. Ast clerici pauperes, qui coacti sint temporis compendia impendere in arte ad victum necessaria, ponant industriam suam pro divenditoribus operum artefactorum; vel si ipsimet coacti fuerint vendere opus manuum suarum, id praestent paucis verbis, ac si fieri possit, pretio immobiliter determinato. Ita enim venditio obtinebitur absque effusione verborum inutilium seu fallacium. Quod si vis ferrea rerum, sinente Deo, Piscatoris successorem ad rete traxerit, non deerit gratia quae animos temperet adversus asperitatem eventuum et corpora sustentet in universali Cleri pauperie. Dum haec scribebamus, nemo poterat divinare, quae ad Rhenum, ad Sequanam, ad Tiberim, in Gallia et in Italia, vis armorum tulerit. Imperator omnium potentissimus, Rex omnium augustissimus, qui et Pontifex, in momento, in ictu oculi, sunt in captivita-

tem trusi. Repetetne ille solii gradus? Dubito vehementer. Redibit ne iste ad libertatem sui duplicis imperii? Id pro certo habeo; non enim puto, redituram aetatem ferream, quae Constantino praecessit. Libertas Ecclesiae fructus est sanguinis Iesu Christi. Quae autem libertas in ea sine libertate sui Capitis? De iuribus et muniis Clericorum tum civilibus tum politicis uberius dicam sequentibus capitulis.

CAPUT XXII.

DE SCHOLIS.

Difficilem aleaeque plenam aggredimur quaestionem. Deus scientiarum est dominus: Cur itaque non diriget scientiam, ne fiat in lapidem offensionis? Cur non avertet provide incautas generationes hominum ab arbore scientiae boni et mali, ne in hoc fataliter ruant? Haec autem directio adimpletur per ministerium Ecclesiae, cuius pastoribus dictum est ab eo, qui est sapientia Patris et Verbum Veritatis: *Docete omnes gentes.* Ius publici magisterii in Ecclesia est ex natura societatis perfectae et visibilis, estque, ut societas ipsa, originis divinae. Inhaeret supremae societati derivatque ab eius fine supremo. Si hoc magisterii supremum est, cur non ei omne aliud subdetur? Societas supernaturalis longe naturali praestat, fides rationi, natura gratiae. Quod originem habet et finem altiorem, illud ipsum sibi submittit id totum, quod in eodem subiecto inferius est

origine et fine. Hoc igitur magisterium, supremum in ipsa hierarchia scientiae, ad potestatem spectat hierarchicam Ecclesiae et in omnes exercetur, cuiuscumque gradus sint in societatis civilis scala. Non attingit sola dogmata et mores, sed protenditur etiam ad omnia, quae colligantur cum aeterna salute, cui tam proxime adhaeret educatio moralis et sana institutio iuventutis. Haec doctrina tam certa et perspicua est, ut nullum relinquat ambigendi locum. Eruitur enim non solum a Syllabo, in quo cernis proscriptam oppositam; sed ex ipsa missione Ecclesiae, quae divinam prosequitur Verbi Dei, et ex ipsa philosophica ratione, quam etiam haud suspecti viri prosequuntur (1).

Quid ergo? Totumne opus magisterii absque distinctione obiecti relinquendum Ecclesiae soli? Non hoc affirmo: sed aio Ecclesiae ius inesse, ut et mandatum divinum, docendi dogmata, mores eaque quae cum illis connectantur, Ecclesiae, inquam, et ipsi soli, cum illi uni dictum a Domino fuerit: *Euntes docete omnes gentes*. Non diffiteor tamen, civilem potestatem ius possidere promovendi studia scientiarum et artium, fidei et moribus extranearum, dum Ecclesia ipsa ius retinet et debitum vigilandi, ne scientia laicalis in detrimentum vergat religionis. Quam certo offendere possunt etiam qui docent iurisprudentiam, artem medicam, mathematicam et alia huiusmodi. Non quod scientia ipsa, quam possident, eos ducat ad has conclusiones religioni in-

(1) Gioberti, *Primato*, p. 2, c. 1. Sed vide Coppola, *Sul diritto della Chiesa in ordine al pubblico insegnamento*, Napoli 1869.

fensas, sed quia pro scientia acceperint pulverem eius, quae parit audaciam et cum hac incredulitatem. Recte mihi videtur egisse catholicum gubernium, quod ad devitandos hosce fallacis scientiae hostiles incursus, doctorandos subiiciebat speciali examini circa connexionem scientiae, cuius optarent lauros, cum ipsa catholica religione. Scientiae itaque cum sint inter se admirabiliter connexae; quum immo minus accurate ductae possint in multis fidei adversari, nedum ei, ut par esset, fideliter ancillentur; ideo nemo potest Ecclesiae abiudicare ius, immo munus advigilandi, ne inventis scientiae vel rationis quid misceatur, quod a fide abludat. Nonne haec est vigilantia piae matris, quae cavet, ne venefici pastus liberis obtrudantur? Laici tamen oculo nimis suspicioso vident aegreqne ferunt immixtionem Ecclesiae vel Clericorum in iis, quae ad litterarum scientiäeque tradendas normas attinent. Laici, connivente nonnunquam vel saltem incurioso aut metuente gubernio, dum scientiam vel litteras tradunt, impingunt non semel in fidem. Lamentabile exemplum habes in Athenaeo parisiensi sub rege Ludovico Philippo (1), atque etiam sub secundo imperio, nec non in studiis italicis, in quibus exaltatur humana origo et arcta declaratur necessitudo hominis cum simiis. Vide nostri generis nobilitatem et scientiae progressum! Impetunt vero fidem modo negativo vel etiam positivo: et primo quidem modo silentes de ea dedita opera, neque eiusdem tuiti iura pro data opportunitate; altero vero

(1) V. Opus: *Le monopole universitaire*, quod Lugduni prodiit an. 1840.

quidpiam annuendo, quod absonet a recta fide. In votis itaque habendum, ut Clerus litteras rebaptizet, tantopere ad pagana studia divertentes, scientiasque a recto tramite abstractas fidei reconciliet, infandum, quod natura respuit, hanc inter et illas divortium e medio tollendo. Quorsum vero hoc? Non putamus agendum directo modo, a fronte nempe aggrediendo errorum propinatores vel complicem laicam auctoritatem, sed potius indirecto. Torrens in Austro praepes e montibus ruens, an cohibebitur obiectu aggeris illum in toto suo impetu excipientis? Minime; sed provide franget exundantes aquas et alio diriget earum cursus, si oblique stet in earum occursu. Optandum sane esset, ut Clerus adeo in Ecclesia afflueret, ut par esse posset et operibus ecclesiastici ministerii et scholis auxiliarem manum admovendo. Arduum opus proponimus, quod tamen valde necessarium evadit proindeque est magnis conatibus tentandum. Sed enim putasne Clericos exceptos iri, ut magistros in gymnasiis, quae ambit mephiticus aër irreligionis? Probe video difficultatem, non tamen insuperabilem. Clerici etiam excipientur hisce in ludis ob instantem necessitatem seu laicorum magistrorum parcitatem. Officia enim didascali minus ample retribuuntur, minusque quaeruntur a laicis, dum sufficere queunt clericis, a familia avulsis et laudabili parsimoniae suetis. Sic effici possent sal condiens didascaliam carentem religionis aromatibus, eamque praeservans a corruptione pessima.

Sed et ultra progrediendum. Instituendae enim scholae sunt, quae ad Clerum unice spectent. Dedecet sanctuarii adolescentes ad scholas mittere laicorum, a quorum

societate non semper hauriuntur exempla virtutum. Pueris itaque vel in sortem Domini vocandis, vel quomodocumque facilius in innocentia servandis, optandum collegium est scholasticum ab halitu erroris et vitii secretum. Proderit enim et ad clericatum promovendis et filiis, quos patres familias (nec desunt etiam inter incredulos) voluerint christiane educari. In loco a saeculari labe tuto perfectis scholis, qui non inhiat sanctuarii foribus, didicit saltem cum litteris scientiaeque elementis artem omnium potissimam christiane vivendi. Ad quae collegia facilius affluunt christianorum parentum filii, si alumni in clericali habitu incedere non cogantur. Sic autem clericales scholae debent esse comparatae, ut possint certatim cum publicis gubernii contendere (1). Id enim exigit gloriosus locus, quem semper Clerus in studiorum curriculo obtinuit. Et facilius ipse hanc nobilem consequetur metam, tum quia a domesticis mundanisque curis magis abstractus maiore animi contentione studiis vacabit, tum quia plus valebit in alumnorum mentibus cum obsequio legis inserere studendi cupidinem.

Optandum igitur non parum esset, ut ordinari clerici possent sub titulo etiam magistrali, tanquam ii, qui apti ingenio studiisque ad docendum, istud officii religiose obirent, sicque non enecarent mentes tenellas sub praetextu eas illuminandi. Hac ratione Cleri agmina percrebrescerent, et sic laicorum reis doctrinis obviam

(1) Vide quae scripsimus in libro: *Cleropedia sociale,* Casale 1851, cap. XX.

tutius iretur. Atque ita sensim litterae et scientiae ad meliorem reducerentur conditionem. Sacerdotes, qui erudiendis in scholis publicis pueris operam navant, praeter quam quod apti sint litteris scientiisque evangelico sale condiendis, ex officii stipendio haurient, unde vitam possint cum solatiolo transigere.

Quod si invalidi fiant prae senio vel infirma valetudine vix restauranda, tunc ad mentem revocentur quae iam diximus de clericali gerontocomio aliisque subsidiis Clerico praestandis iam effoeto novisque iam laboribus inepto. Hic autem nostra facimus sequentia Concilii Baltimorensis III provincialis verba: « Cupimus autem maxime, ut in singulis dioecesibus episcopi quam primum commode potuerint, sacerdotum ipsorum adhibito consilio et opera, certum quemdam modum et stabilem statuant, quo infirmis vel aetate provectis, vel alias impeditis, provideatur. » (Decreta Conc.). Insuper anne Clerici non possent, nec ii solum qui ex stipendiis scholarum vivunt, sed omnes qui stabili titulo non roborentur, simul inire societatem, cuius vi singulis annis conferant modicam summam, atque ex collata pecunia sociali tribuantur annua subsidia iam functis vitae officio, iis nempe, qui emeriti habentur ob vires fractas aetate vel morbis? Id ipsum alicubi peragunt etiam civiles magistratus, qui tamen interdum gravioribus subiacent necessitatibus, quippe qui onere familiae gravati existunt. Sed de ratione sustentandi Cleri secundum posse et libitum, sive qui in docendo sive in ministerio sudaverit et consenuerit, iam alias.

Memorabimus hic obiter, semper Ecclesiae cordi fuisse promovere catholicas scholas, quae templis ipsis veluti

partes doctrinae catholicae, adhaerebant. Notum enim est, ut caetera mittamus, quod de magistro grammatícae constitutum est in synodo Lateranensi IV atque etiam a Tridentino (Ses. v. c. 1 de Ref.). Et quamquam diebus nostris, succrescentibus Regularium, Seminariorum et guberniorum scholis, istud grammaticale magisterium in desuetudinem abierit, ut iam a saeculo et amplius testabatur Ubaldus Giraldi (1); demonstrat tamen id satis, quantum sollicitam se praebuerit Ecclesia de litteraria institutione iuventutis. Quam etiam in altero hemisphaerio Concilii Baltimorensis plenarii Patres magnopere commendarunt sequentibus verbis: « Hortamur episcopos, et attentis gravissimis malis, quae ex iuventute haud rite instituta sequi solent, per viscera misericordiae Dei obsecramus, ut scholas unicuique ecclesiae in eorum dioecesibus annexas, instituendas curent; et si opus fuerit et rerum adiuncta sinant, provideant, ut ex redditibus Ecclesiae, cui schola annexa sit, idonei magistri in ea habeantur. » An necessitas, quam Americani Pastores persentiunt, non est facta universalis? Ea quapropter affirmamus, ubique catholicarum gentium eamdem urgere, proindeque ubique cordatos persentiscere posse, Concilium oecumenicum huic malo remedia, ut vires suppetunt, allaturum. Sexta et septima quaestio ex propositis ab Apostolica Sede orbis catholici episcopis id manifeste innuunt. Probe dignae sunt quae hic referantur. Legitur enim numero 6: « Dolendum summopere est, ut populares scholae quae patent omnibus cuiusque e

(1) V. *Expositio iuris pontif.*

populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur pluribus in locis ab Ecclesiae auctoritate moderatrice vi et influxu, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim: quidnam itaque offici posset, quo congruum tanto malo remedium afferatur et Christi fidelibus suppetat catholicae instructionis et educationis adiumentum? » Et num. 7°: « Maxime interest, ut adolescentes clerici humanioribus litteris severioribusque disciplinis recte imbuantur. Quid igitur praescribi posset ad Cleri institutionem magis ac magis fovendam accomodatum praesertim ut latinarum litterarum, rationalis philosophiae ab omni erroris periculo intaminatae sanaeque theologiae iurisque canonici studium in seminariis potissimum dioecesanis floreat? » Ut hisce quaestionibus plene fiat satis, opus est episcoporum sagacitate, quae magis magisque requiritur, ut theoriae praxis omnino respondeat. Zelus, prudentia et spiritus abnegationis, quo pollet episcopus, auxilium sibi adsciscent charitatis catholicae ad illa instituta erigenda, de quibus iam egimus ubi de studiis Clericorum. Ibi etiam praeoccupavimus, quae fieri oportuerit ad redigendum in praxim, quod expostulatur num. 8 hisce verbis: « Quibusnam mediis excitandi essent Clerici, qui praesertim sacerdotio sunt initiati ut emensi scholarum curriculo, studiis theologicis et canonicis impensius vacare non desistant? Praeterea quid statuendum efficiendumque, ut qui ad sacros ordines non promoti,

excellentiori ingenio praediti, in decurrendis philosophiae ac theologiae studiis praestantiores habiti sunt, possint in divinis sacrisque omnibus disciplinis et nominatim in divinarum Scripturarum, sanctorum Patrum, Ecclesiasticae historiae, sacrisque iuris scientia penitus excoli? » Quibus nil addimus iis quae de catholicis universitatibus, Metropoliticis vel nationalibus seminariis iam fusius sumus prosecuti.

Hic de studiorum, quae Clerus dirigat, methodo et extensione dicendum foret. Quoad vero primam existimamus, inter multa quae nuper sunt inventa, quaeque, ut fit sub sole, renascuntur et concidunt, cernenda esse solidiora atque utiliora. Fatendum quidem est, puerum ducendum esse ratione eaque iuvandum. Cave tamen, ne quid nimis, neve inopportune. Nos obliviscaris, pueritiae aetatem, magis quam ratiocinando opportunam esse memoriae mandando ideas, ex quibus suo tempore, per maturiorem mentis operationem, deducantur vera multigena. Quoad vero studiorum extensionem, res ipsa et temporum necessitates poscunt, ut dilatetur ambitus studiorum iuvenilium, neque in linguae latinae circulo coerceantur. Studia litteraria aliquantula notitia historica antiqua et recenti, nec non geographica conspersa tradantur: studia physica notionibus historiae naturalis cumulentur; et philosophia rationalis ex probatis scriptoribus, maximeque ex s. Thoma deprompta quoad logicam, metaphysicam et ethicem, notionibus historicis scientiae amplientur. Ita enim parabitur iuventus, quae in sortem Domini vocabitur, ad uberiores haustus ex theologia ducendos et apologetica certamina suo tempore susti-

nenda. Quae autem officiis laicis sit vacatura habitum contrahet ad solida studia, quibus semper adiungetur religionis amor puris in fontibus haustae. Ceterum clericorum scholae a clericis directae efficax erunt antidotum adversus mentis praeiudicia cultumque sensuum, quae leniter ex usu classicorum auctorum insinuari possent in iuventutis animis nimiopere expositis phantasiae oblectaminibus somniisque iucundis. Nos e gymnasiis proscriptos nolumus scriptores ethnicos purae latinitatis; at magna vigilantia et opportuno condimento christianae philosophiae opus esse non diffitemur (1).

De scholis agentes, ne sileamus de illis, quas Regulares frequentant aut de aliis quas aperiunt sitientibus eorumdem puras aquas. Regularibus operam praebentibus praedicationi vel etiam puerorum instructioni magnopere conveniunt studia theologica et litteraria. Ea itaque magno ardore promoveant: et si forte in proprio ordine magistros uti par est non habeant, eosdem quaerant in aliis probatis congregationibus, mittantque iuvenes proprii instituti ad alia claustra, in quibus sacrae tradantur disciplinae. Hisce praesertim temporibus decet, immo oportet, ut Clerus tam saecularis quam claustralis erudiatur ad convellendos audaculos contradictores. Profecto e Regularium coetibus plures validi bellatores prodeunt, illorumque asceteria theologicis armis redundant, quibus christiani nominis hostes proterantur. Qui vero Regularium ordines puerorum educationi incumbunt, illis exercendis in ludo tum litterario,

(1) V. *Cleropedia sociale*, cap. XX.

tum philosophico acriter rem ineant, ita ut laicorum scholas saltem aequent in doctrina, dum eas in caeteris omnibus praetergrediuntur. Parentes enim ubi videant Regularium scholas non minus spectabiles, quam caeteras quascumque, quumque insuper apprime noscant easdem promovendae orthodoxae fidei et sanae Ethicae valde esse accommodatas, dum e converso laicae saepenumero erroribus in fide morumque corruptelae viam sternunt, fidenter committent monasterii scholis sobolescentes natos.

Nostrae aetatis gubernia sibi ius arrogant curandi publicas scholas, et nedum religiosis viris libertatem relinquant docendi atque educandi pueros sibi ultro oblatos, se ingerunt etiam studiis, disciplinae atque educationi eorum, qui in sortem Domini vocati in seminariis degunt. Hoc est immixtionis abusum ad valvas usque sanctuarii deferre. Ecclesia, cuius est catholicos servare, qui sunt ex parentibus catholicis enati, in id incumbit quammaxime: quomodo autem hoc praestiterit, quum ei ne relinquantur quidem scholae? Ecclesia, quam gubernia premant, magnum lucrum reportabit, quando haec eadem libertatem mali ex instinctu proprio protegentia ei reliquerint saltem facultatem agendi boni, et sincere actitent iuxta formulam,quam eo magis infringunt, quo plus iactitant: *Libera Ecclesia in libera civitate.* Tunc enim posset prodere et implere mandatum, quo est in aeternum communita, docendi omnes gentes. Summus pontifex, cui collatum est munus pastoris universalis, aegerrime fert, in multis catholicis regionibus scholas aperiri pestilentiae, impiis sessoribus ad cathedras per-

latis. Et modo, horresco referens, in ipsa urbe Roma videt apostolos incredulitatis veneno inficere tenellos natos, errores inferni disseminando, sanctam civitatem convertendo in putidam Babilonem, magistram iniquitatis. Posset angelicus pastor cum propheta eiulare: Heu me miserum, qui cogor incolatum habere cum habitantibus Cedar, cum hominibus nempe tenebrarum, qui praesumunt dici viri lucis et sapientiae. Verumtamen quid aio? Nonne apostolico Captivo liberrima suppetit evadendi via? Hosti aufugienti, dicunt viri catholici filiique devoti, pontes aurei parantur. Sed non relinquet limina apostolorum, nisi coactus. Qui autem ei viam sternunt exilii, directe vel indirecte, ni Deus intersit, expellent eum. Quod si contigerit, proh dolor! brevi sciet Romam in Babiloniam conversam iri. Scholae elementares in potestatem decident agyrtatarum, quorum institutum est cum *Calandrinis* iocari; *secundariae* ab iis arripientur, qui omnia docere praesumunt, doctores encyclopedici, qui graece, latine, et fortasse italice nesciunt: *universitariae* ab illis doctoribus, qui materialismum in medicina, in iurisprudentia doctrinas venditant auctoritati rebelles, praesertim ecclesiasticae. Clerici apostatae publice in triviis et plateis poterunt circulatorum more suas incautis divendere ineptias et absurditates: ast principi pastorum, Petri sucessori fas non erit ex sua cathedra, liberiore tempore Neronis, docere omnes gentes, communicare cum omnibus pastoribus, mittere per omnem terram verba salutis. En libertas parata a diabolo et angelis eius.

CAPUT XXIII.

DE CATECHISMO.

Momentosissima res est catechismus, quem despectant homines blasphemantes quod ignorant. Si noscerent hoc donum Dei, faterentur, hoc libellum plus esse sapientia refertum, quam spissa volumina philosophorum antiquitatis. Quid haec nuntiant humano generi? Nihil, nisi dubium universale, discordias, babelicam confusionem. Fatentur id etiam homines, rationi plus aequo blandientes (1). In libello autem, quod catechismi nomine inscribitur, solutio reperitur magis arduorum problematum, quae humanas mentes a tot sacculis fatigant. Id etiam homines minus suspecti praedicaverunt (2). Quid autem mirum? Catechismus est enchiridium fidei, quam in terram aerumnarum detulit ad solamen animae signumque salutis Verbum Dei caro factum. Non itaque rem minutissimam consectati sunt, qui catecheses concinnarunt, ut Cyrillus Hieros., vel methodum docuerunt de catechizandis rudibus, ut Augustinus, vel etiam formam parvi catechismi prodiderunt; quod postremis hisce temporibus praestabant Bellarminus, Bossuetus, Fleuryus, Gerdilius, Rosminius, aliique (3). Sed et concilia oecumenica nobis probe demonstrant, quanti intersit bene ordinata et accurata catechismi forma. In id serio in-

(1) Sic inter alios p. Leroux, *Revue indépendante*, t. I.

(2) Iouffroy, *Mélanges philos.*, p. 424.

(3) Hisce adiungere velis Martinet, *Philos. du catéch.* Dupanloup, *Entretiens sur le catéch.* aliosque viros doctos.

cubuit Tridentinum, deditque in mandatis tribus doctis episcopis, ut simul ordinarent vulgatissimum catechismum ad parochos, quem litteratus subalpinus aureo sermone donavit (1). Hoc opus eximium catechismum docentibus hodie etiam magnopere usui potest esse, praesertim ubi pauca addantur opportuna ad firmandos fidelium animos contra novitates fidei adversas. Etiam Vaticanum Concilium attenta mente pensitavit quae ad catechismum referuntur, ac de eo pluries patuit discussio. Quaerebatur scilicet, an satius foret unicam tenere catechismi formam, quae pro catholicis adoptaretur cuiuscumque regionis. Haec quaestio suspensos habebat animos Patrum divisasque sententias.

Non pauci enim propugnabant utilitatem unius catechismi, qui latine originaliter digestus atque in varias pro quaque regione linguas versus in omnibus indiscriminatim dioecesibus catholici orbis adhiberetur. Unitas fidei perbelle in unitate catechismi splendesceret; haecque opportune catholici symboli responderet unitati. Hac ratione vitaretur haud infrequens neque parva iactura in migrantibus ad alias dioeceses. Hi enim, ad aliam translati, videntur ignorare catechismum, quem probe norant in patria. Quod quidem magis apparebit, quando migratio fieret ad aliam gentem diversi sermonis. Difficultas, in rudibus praesertim, transferendi in instanti responsiones

(1) Catechismo rom. adlaborarunt tres episcopi itali. Pogianus autem subalpinus illum latinis litteris digessit ac perpolivit. V. Lagomarsini adnot. 34 ad Gratiani nuncup. et ad Pogiani epist. XI, vol. 3. Harpius ipse optat confici catechismum moralem pro omnibus. *Cours*, etc., tom. 16, 2 part.

catechismi in aliam linguam, quam minus callent, speciem induet absolutae ignorantiae. Quod si praeter substantiam forma etiam catechismi eadem esset pro omni catholica gente, tum difficultas, proveniens a simplici versione, facile superaretur. Ita multi opinabantur; non deerant tamen validi oppositores. Qui asserebant, formam catechismi relinquendam esse pro quaque dioecesi episcopo, qui portat in humeris suis depositum fidei; hanc libertatem inhaerere officio atque agnitam ab omnibus semper; ceterum varietatem formae si non leviter apparere possit in catechismis alicuius molis, quales erant Romanus et alter B. Petri Canisii, tantopere commendati in Actis s. ecclesiae mediolanensis, vix spectabilem fore, si, ut in casu, de parvo agatur catechismo, qui vix contineat scitu necessaria ad salutem, pene aequiparandus in brevitate symbolis fidei. Addebant, non eamdem omnibus in locis sectandam esse in catechesibus oeconomiam; in terris ubi degant haeretici vel proximi adstent, uberiorem requiri tractationem quorumdam capitum ad convellendos errores dominantes; alicubi experrectiora ingenia ampliores ferre, immo sitire haustus. Reponebant vero priores, etiam in dirigendis elementis fidei saepe patere formae varietates, atque interdum conspici in ipsa varietate puncti, a quo incipit ordo veritatum fidei, de quo infra; cognitiones autem ampliores pro opportunitate exhiberi a docente vivae vocis organo. Verbo placuit plurimis Patribus systema de uno catechismo, quantumvis parvo, proponendo, velut typo cunctis dioecesibus catholicarum gentium. Re enim vera numquid parvi catechismi omnes sunt eodem

modo digesti? Dixerit id nemo. Etenim si conferas simul vulgatiores catechismos parvulos, plane conspicies tales extare inter ipsos differentias, ut facile in rudibus mentibus parumque in rebus fidei exercitatis gignant obscuritates et confusionem. Sic dum B. Petrus Canisius praeludit a notione christiani eique morem gerit ven. Bellarminus, Bossuetus inchoat a signo crucis, Pougetus in catechismo Monpessulano ab existentia Dei, ut etiam alii plures. Quis non videat, ex solo discrimine in processu ideali difficultates enasci in animis rudium et puerorum? Qui proinde videbuntur ignari, si de una in aliam orbis catholici plagam transferantur. Apposite memoro pueros, nam hi sunt diligenter initiandi in rebus fidei. Systema dilationis ad maturiorem aetatem a Rosseavio invectum est omnino irrationale; atque in hoc conveniunt omnes frugi educatores (1). Quorum aliqui laudabiliter animum intenderunt ut pueris redderent perviam ideam Dei incorporei, aliarumque abstrusiorum fidei veritatum. Admissa autem unitate parvi catechismi, reliqua est in Rectoribus dioeceseon libertas parandi uberes explicationes elementorum fidei. Pretiosa haec libertas est et universim agnita. Verbo: pro quotidiano victu fidei Concilium parat panem unicum, supersubstantialem, eumdemque pro omnibus; episcopi vero pro lubitu diversoque eorum gustu dabunt obsonium.

Verum quinam erit hic unus, normalis pro toto orbe catholico catechismus seligendus? Hic alia, neque levis,

(1) V. Gerdil, *Réflexions sur la théor. et la prat. de l'éduc.*; Milde, *Trait. d'éduc. gén.* num. 135.

cubat difficultas. Non pauci Vaticani Patres omnibus praeferendum rebantur catechismum emin. Bellarmini. Neque deerant graves rationes favore huius voti. Excellentia ipsius catechismi a tot pontificibus tam alte commendati, quorum instar memorabo Clementem VIII, Benedictum XIV, in tot linguas versi, non excepta Illirica, ut Romana probat editio anni 1664, a viro tam docto pioque compositi, qui ab altioribus studiis biblicis, theologicis, ascetis descendebat ad parvulos usque et lactentes erudiendos, videbatur colophonem addere laudato opusculo in Concilio Patrum. Non fuit autem sic. Visa enim est praevaluisse opinio, ut nempe novus compingatur catechismus orbi catholico donandus. Quod si fiat, non certe detrimentum accipiet fama ab ipsis pontificibus parta Bellarminianis catecheticis elementis. Orietur ergo auspicatissimus universalis catechismus a Concilio Vaticano, eritque novum opus, eritque dignum tanto patrio nomine, sin mole, certe propter substantiam, ordinem accurationem, perspicuitatem. Et sicuti Tridentinum nobis legato reliquit *Catechismum ad parochos*, aureae doctrinae et latinitatis librum, dignum vocari perpetuum enchiridion pastorum; ita Vaticanum tradet nobis parvum catechismum catholicum, specie munusculum, re autem pretiosam margaritam, quique fiet tutissimum manuale omnium fidelium. Dignum profecto est hoc opus, ut exerceat ingenia validiora in analysi et synthesi; vastitatem atque profunditatem poscit doctrinae, quia in tenui labor, et labor ingens. Et si, priusquam Concilium, tam laete inchoatum, fortunatum sortiatur exitum, possit eius subiici oculis novus catechismus, cum magno animi ardore suscipietur,

tamquam ab eo consessu probatus, quo nulla maior poterit et solemnior auctoritas excogitari. Dum autem in id intendunt animi, nobis sanctisimum liceat ominari successum huic fidei Vaticanae lectissimo compendio. Ingrediatur istud salutis documentum omnia catholici orbis templa, humilesque aedieulas ad aedificationem etiam plebeculae ad extremas oras proiectae; ingrediatur domos illustres, ipsasque popelli domunculas, ut santificet ubique salvetque familias; ingrediatur scholas omnes, sitque illis in monumentum fidei tutissimae in saecula duraturae.

Verumtamen hic labor, hoc opus est catechismum elementarem conficere, qui accessum obtineat ad gymnasia saeculi XIX, cui nomen iactuose venit a scientia et ratione humana potius, quam a fide. Extant enim (quis crediderit unquam?) extant gymnasia, extant tenellula ephebea, a quibus ut merces exotica, vel inutilis, vel etiam noxia, catechismus exterminatur. Et parentes catholici id norunt, patiuntur, mittuntque dilectos natos in locum, ubi primordia fidei nunquam accipient, sed comedent pro pane venenum, pro pisce serpentem, mortem pro vita? Ploranda filiorum iactura, parentum detestanda caecitas, incuria, durities. Sunt vero, qui catechismum catholicum non respuunt; sed morosiores circa methodum confectionis, vix est ut catechismum inveniant sibi placentem, non quidem propter rei susbtantiam, quum se catholicos profiteantur et sint, sed ob modum ordinemque idearum, licet istae magis de imperio fidei sint quam rationis. Ast de methodo catechismi plura essent dicenda, quam quae instituti

nostri ratio et brevitatis cui summopere studemus, patiatur. Nonnulla tamen, quae superflua nobis haud videntur, proferemus.

Atque primo ducimus, in id praecipue debere incumbere parvi catechismi compositores, ut illius substantiae nihil desit, non fidei integritas, corpus nempe credendorum et agendorum in ordine ad vitam aeternam, non expositionis claritas, nitor atque irreprehensus rigor theologicus. Sed et ordo logicus in ipsa fidei expositione quam maxime desiderandus, licet agatur de veris supernaturalibus atque extantibus in patrimonio revelationis. Quis enim ambigat, veritates fidei in unum perbelle systema colligatas esse? Quis non sentiat, perfectum idearum nexum, qui simul devincit christiana dogmata in symbolo exposita, ab existentia Dei patris omnipotentis usque ad vitam aeternam? Hic autem nexus etiam pueris evadet sensibilis, ubi series interrogationum ita sit disposita, ut praecedens necessario ad se trahat subsequentem eamque puer ipse, anima tenella et naturaliter christiana, fere praeveniat, ac prior responsio subsequentis excitet veluti congenitam sitim. Quae responsiones, ne nimis onerent fatigentque mentes blandulas, vel adultas quidem sed veluti rubiginosas aut paralysi gravatas, sint cum claritudine breves instar iactus teli. Quod obtinebitur quidem multiplicando potius opportune interrogatiunculas. Quum agatur de parvo cathechismo et urgeat brevitatis necessitas in dialogo, hinc non potest ea adhiberi laxior forma, quae adminiculis utens accessoriis, opportunis sententiarum copulis mediisque transitionum perbelle refert conceptuum iunctio-

nes, quasi annulos catenae. Catechismi parvi dialogus itaque longe debet esse ab illa amplitudine, venustate ac splendore, quibus nitent dialogi a Platone vel M. Tullio, a T. Tasso, Galileo et Manzonio lucubrati.

Verum facilius est prosequi, facilius rem ad exitum suum perducere quam ordiri. Unde igitur et quomodo inchoandus parvus catechismus est? Rem difficiliorem, quam quae communius appareat, a me postulas. Dabo tamen tibi commenta mea, nil sollicitus sint ne ponderosa vel minus. Duplici praesertim ratione poterit inchoari hic libellus manualis pueritiae christianae; vel per notionem, quae sit veluti synthesis totius doctrinae christianae, vel per aliam, a qua valde minus complexa incipiatur minuta totius opellae analysis. Usitata est valde prima forma introductionis, post Bellarminum, qui incepit a generali fidei christianae professione (1). Sed haec non omnibus fortasse potest duplici ex capite arridere. Et primo quia videbitur gressus retrogradus a professione christianismi recedere ad notionem Dei Patris omnipotentis atque ita deinceps. Si tamen hic est defectus, cunctis tractationibus communis est, in quibus incipitur ab idea concreta, quae sit totius operis speculum. An sit autem opportunius sub initio definire rem, qua de agitur, vel istam notionem ad finem usque transferre, ut aliqui praestiterunt in philosophia, in theologia atque in iurisprudentia, viderint alii. Potius meminerim aliqua, quae possent huic catecheseos systemati opponi.

(1) Etiam in libel. anglic. *Common Prayer* incip. ab interrog. *What is your name?*

Prima occurrit difficultas intelligibilem pueris reddendi notionem christiani, quae tot alias praesupponit, atque incognita, tot alias praerequirit fundamentales. Sed responderi posset, parvum catechismum non pro pueris tantum, verum etiam pro adultis vel insciis vel qui mente revolvere cupiunt res fidei, confectum esse; atque hi faciliter assequuntur ideam hominis christiani. Deinde numquid, in pueris praesertim, fides non obtinet magnum locum quoad cognitionum seriem? Numquid semper fundamentum earum etiam adulti locare poterunt idipsum, quod ratione vel sensu perceperint? Quoties enim a re facti incipitur, quae audita sit atque ab omnibus admissa! Addes vero: sed interim incompleta est notio christiani, quam suppeditant Bellarminus et alii multi, neque sufficit catholico. Nimis autem longe in parvo catechismo transfertur huius ideae complementum, per quod christianus significetur et habeatur ut catholicus romanus. Hanc fortasse difficultatem praesensit B. Petrus Canisius, qui in suo parvo catechismo orditur a plena notione christiani catholici, prout est puellus vel adultus catechizandus. En tenor suae primae responsionis: « Qui baptismatis sacramento initiatus, Iesu Christi veri Dei atque hominis salutarem doctrinam in eius ecclesia profitetur; neque sectis vel opinionibus ullis ab ecclesia catholica alienis adhaeret. » En itaque plena notio christiani seu catholici. Verum an haec notio est pervia animulae puerili? Plenior haec formula introductionis, sed fortasse implexior, quam quae traditur a Bellarmino.

Nobis vero perplacet ordo ille parvi catechismi, quo incipitur ab aeterno Patre rerum omnium factore omni-

potente et desinitur in vitam aeternam filiorum. — Siccine uno iactu pusillas mentes transfers ad Deum? Hoc est gigantis saltum ab homuncione petere. — Sed quid si cum Gerdilio aliisque notis philosophis dicerem, ideam Dei et creatoris fundamentum esse humanarum cognitionum (1)? Verumtamen ego praesertim de catechismo puerorum agens, nollem ad philosophorum accedere castra neque ontologismi neque psicologismi vel cuiuspiam alius systematis me profiteri sectatorem. Sum enim catholicus; et sufficiat pro re nostra. Sum catholicus, et memini sententiam s. Apostoli Pauli, qui ait, invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspici (Rom. 1). En, si recte video, signata manuductio ad Dei aliquantam cognitionem, quae pueris etiam poterit inservire. Puer enim ab inspectione suimet ipsius et eorum quae circumstant valet assurgere ad ideam summi Factoris, quemadmodum a visione tabulae vel statuae faciliter graditur ad ideam artificis. Profecto suppetit experto magistro ratio inserendi in tenellis mentibus religionis veritates magis arduas, ut Fenelonius praestans doctor apposite animadvertit (2): suppetit ratio eos erigendi etiam ad ideam spiritus, ut probat exemplo praebito Sigismundus Gerdilius (3). Hoc ipsum dixeris de notione Dei, ad quam alter philosophus puerum ducit a notione hominis vel suimet ipsius (4). Verum

(1) V. Gerdil, *Introduzione allo studio della relig.* Vulgare etiam systema philos. V. Gioberti.
(2) *Éducation des Filles*, chap. 7.
(3) Gerdil in opere praelaudato.
(4) Rosmini, *Catechismo secondo l'ordine delle idee.*

quis dixerit, hanc puerilem propedeuticam inferendam esse in parvum catechismum? Si secus, praeparatio longius tempus absumeret atque plus occuparet spatii, quam res ipsa, et homuncioni aptarentur giganteae bases. Commendo equidem paedagogicos conatus ad ducendum pueros pedetentim usque ad sanctuarium Dei. Haec autem oppurtuna sunt adiumenta, quae dum probant magistri patientem sagacitatem, alumno parant viam. Sed catechetici textus non debent pars esse. Quid enim sentires de parvo catechismo, qui notioni Dei sex praemitteret dialogos, 1° de propria existentia usuque sensuum eamdem attestantium, 2° de homine, 3° de anima et corpore, sicque de humano composito, 4° de libertate, 5° de immortalitate, 6° tandem de hominis origine? Propedeutica catechismi haec est, potius quam catechismus ipse (1). Artificia autem haec non leviter prosunt ad planiorem et delectabiliorem reddendam pueris catechismi disciplinam. Sit vero modus in hac methodo rationali adhibenda, et caveatur ne semen *rationalismi* inseratur in curiosis animulis. Non tradatur omnium dictorum ratio, sed puer protinam edoceatur, veritates Dei supra captum extare omnium creaturarum, discatque illico subiicere intellectum fidei. Nec etiam ei tradatur singillatim minutissima explicatio rerum. Sicuti enim compescenda est effrena omnia sciendi prurigo; ita nec lassanda, neque exhaurienda tenellula vis intellectualis pueri in levioribus ac facilioribus explicandis. Pateat late campus liberis excursionibus ingenioli puerilis;

(1) V. Chiaves, *Guida per l' insegnamento del Catechismo*, Torino 1852.

neque invitus gestetur, qui iam didicit pedibus ire suis. Non habeat semper puer iter planum, ut possit difficilia pertentare ausubus suis. Eam reprobamus docendi methodum, hodie passim acceptam, quia puer semper gradi cogitur pede liquido, neque unquam saltare sinitur. Est et methodus, quae ingenioli praecidit alas.

Ceterum studium complanandi catechismi materiam enituit semper in pastoribus Ecclesiae et doctoribus, ab Augustino, qui expositioni doctrinae fidei interserendas iudicabat hystoriae sacrae narrationes (1), ad Dupanlupium, qui ab idea precationis puerum manuducit ad notionem Dei et opus catechizandorum puerorum amplissime magnificat (2). Verum secernatur apparatus ad catechismum, qui viva voce et efficacius fit ab ipso magistro inter docendum, a catechismo ipso. Huiusce textus illico pervadat materiam fidei. Quare non abnuerem illum exordiri cum ea interrogatione: *Quis te creavit servatque usque in praesens?* Cui satis fit uno verbo, quod prius dignum et iustum est ut a puero discatur: *Deus*. Nullo enim negotio duces puerum ad intelligendum, extare naturam longe potentiorem se et patre suo et primo homine qui extiterit, naturam intelligentia sine fine maiorem proindeque spiritualem. Inde gradus ad cognoscendas creaturas intellectuales et rationales, expositio lucidissima veritatum catholicarum, earumdem intimus nexus et declaratio etiam per opportunas narrationes biblicas atque

(1) *De catechiz. rud.* Quod opusculum a Rollinio cathechistis commendatur.

(2) V. praelaud. opus praest. italice versum atque in duo vol. cusum a Flaccadori parmensi.

evangelicas, en qualitates praecipuae, per quas, ut nobis videtur, erit lubentissime excipiendus catechismus Tridentinus ad catholicos directus. Mentionem feci Scripturae, utiliter inserendae etiam in parvos catechismos, ut probant saeculo elapso exempla Bossueti, Fleuryi, Montazetii, aliaque plura, iuxta monitum s. p. Augustini digesta. Tali catechismo munitus clericus, veluti imago divinae sapientiae, poterit ad se advocare filios divitum et pauperum, dicens parentibus saepenumero socordibus prolis: *Sinite parvulos venire ad me.*

CAPUT XXIV.

DE CATHOLICA APOLOGIA.

Cunctis temporibus, per quae transit Ecclesia viam huius vitae ingressa, necesse habuit se se defendere non in ore gladii sed voce calamoque contra persecutores, qui nunquam desierunt, nec desinent, quamdiu spiritus erroris non repetit puteum abyssi, quin possit remeare gradum. Hinc saeculum apologeticum incipit ab aetate evangelica, primique scriptores christiani apologetico mucrone pugnarunt. Quot apologetica scripta a Iohanne Apostolo prodiere usque ad tempora nostra! Origenes, D. Thomas christianam apologiam referunt antiquae aetatis et maediae: seseque adeo validos mihi produnt, ut iis fortasse neminem ex recentioribus, ne Bergerium quidem, putaverim esse comparandum. Duplex vero se se offert aetate hac nostra apologiae genus, quod respondet duabus belli gerendi rationibus. Quan-

doque ponderosis armis in castris, equitibus gravis armaturae et immanium tormentorum bellicorum explosione dimicatur; interdum vero velitibus agilitate praepotentibus, huc atque illuc discursantibus. Non omnibus certantibus occurrendum est eadem bellica arte. Quomodo enim lento equitatu vel tardioribus curribus persequeris agiles illos iaculatores, qui per invias semitas etiam huc illuc cursitant nec unquam in eodem statu permanent? Aut versa vice nonne saltantibus homunculis magnum exercitum protelaveris hominum bene habitorum? Cum hoste congressurus itaque, eius imitare pugnandi rationem. Aliqui catholicam fidem aggrediuntur ponderosis voluminibus, quae olent praeiudicia calumniasque, hisque oppone scripta rationibus ponderosa, eruditione et mole. Qui enim dolentes spectant apostolum erroris per lata spatia vagantem, cur non sustinebunt, ut per lucidos veritatis campos expatietur apostolus veritatis? Si vero fidei morumque osores blasphemiis inficiant pagellas illas, quae hodie avidissime leguntur crastina vero die a vento raptae disperduntur ut folia Sibillae, quis non eodem armorum genere cum hoste congrediatur? Verum est quidem, hoc levis litteraturae genus diem tantum unam numerare posse super faciem terrae, et folium extinctum post solis occasum daturum locum fortasse alteri. At quis non sentiat, periculosiorem sic effici offensionem in hominibus maxime, qui sunt magis levis armaturae? Si primus ictus parum durabilem pariet effectum, quid dicendum de iis, qui in dies repetuntur sub diversa ratione diversisque formis? Ictus licet leves, si quotidie repetantur feriantque semper eodem eoque

delicatiori loco diversimode, nonne post hebdomadas, vel menses, vel annos cor hominis omnino depravabunt? Nonne, ut ait poeta, longa dies molli saxa peredit aqua? Non sufficit pastorali auctoritate vetare venenata pabula, sed oportet quotidie alia sufficere, quae illorum demonstrent pravitatem ipsaque famelicos enutriant. Ephemeridibus pravis aliae opponantur bonae frugis, fidei et moribus faventes, attico sale conditae, quae lectorum alliciant curiositatem vasisque medicinalis oram suavi aspergant liquore, ut cecinit poeta qui Romae dies suos clausit. Sal atticum, quod scripta condiat, non urat personas, in polemicis pro tuenda veritate catholica causaque iustitiae opportunum videtur, fortasse immo pernecessarium ne abalienentur a bonis pascuis lectores taediove afficiantur. Ceterum non desunt inter Patres Ecclesiae qui cum haereticis vel incredulis dimicantes aculeato nonnunquam utantur stylo, immo et aliqui se aliquantulum acerbos praebuerint erga ipsosmet catholicos adversarios. Difficile est enim sanctam illam indignationem comprimere de qua Psalmista: *Irascimini et nolite peccare*, praesertim quando refertum sit conclavis scrinium foliis, quae scateant blasphemiis impudentibusque calumniis. Qui coactus legere scripta huius furfuris impassibilem se sistat, iste cor marmoreum vel adamantinum profecto est nactus. Ergo homines, de caritate solliciti etiam erga malitiosos errantes, ne illico succenseant in eorum vehementes obiurgatores, cogitentque quod potionis genus illi quotidie sorbere cogantur.

Profecto laetandum est, quod viri laici, catholicae veritatis studiosi, se se prodant adversus fratres religionis

sanctae detractores. Laici enim, si sapiunt, efficacius fortasse huic se pugnae inferunt. Ast clerus non participabit huic belli defensivi novae formae? Puto conveniens haud esse, ut absolute abstineat ille, ad quem maxime spectaret agmina ducere. Neque scirem, an haec absoluta abstinentia fidelibus placeret, immo sinistros pareret effectus. Clerici enim, ut par est, sunt magis catholicis doctrinis imbuti, proindeque minus expositi erroribus e calamo iaciendis. Saeculares plerumque claudicant, si in sacrarium se inferant. Idque eo magis evenire potest in ephemeridibus, quae quotidie in lucem eduntur. Deest enim tempus, quo maturius pensentur articuli, hosque prius subiiciendi revisoribus. Hi enim non semper parati sunt muneri expediendo in dies: saepe liberos dimitterent articulos, cum iam opportunitas edendi illa desinere incipiat. Quum autem folia dietim edita pro causa Ecclesiae magnam ei possint utilitatem proferre, vel maiora etiam damna praecavere, palam est quantum expediat urgere hos catholicos typis vulgatus, in quibus maxima pars ad Clerum ipsum spectet. Laici edoceantur, ut pro re catholica impendiis se submittant.

Catholicam apologiam quandoque praestat suscipere in publicis conventibus, in quibus vel sermo inopportune trahitur ad rem religiosam, vel haec intime connexa cernitur cum civili, qua de agitur. Verumtamen expeditne, ut ad hos deliberantes conventus clerici admittantur? Illos ius habere, sicut et caeteros, quis dubitaverit? Sunt enim cives, ut alii, et oneribus aliorum subiecti, cur et aliorum non participabunt iuribus? Alicubi immo maiorum onerum privilegiis fruuntur. Qui clericos volunt

in perpetuum a temporalibus abstractos, qui effutiunt Romanum Pontificem a temporali ditione removendum, iidem blaterant, clericos non debere nec civilibus, nec politicis conventibus operam dare. Sed errant magnopere, qui putant eos ex proprii instituti ratione debere ab his abstinere discussionibus. Hoc esset proscribere tot regionum et temporum usus, in quibus clerici probatae vitae et fidei laicis cum legumlatoribus vel patriae patribus sedebant. Quo in officio saepe bonum consecuti sunt exitum, vel Ecclesiae bonum curando vel malum impendens avertendo. Non diffitemur tamen, quandoque tantum explicari civium in Ordinem sacrum ipsamque Ecclesiam aversationem, ut clerici si interfuerint, nil inde omnino boni sperare queant, vel peiora reformidare damna possint. Sed de modo se habendi in casibus particularibus, scilicet an expediat se miscere obstinatis adversariis eorumque auribus deferre iura veritatis vel iustitiae proculcata, non est hic nostrum inquirere. Satis nobis sit generalem regulam firmare. Qua etiam retenta, videas quid dicendum sit in casu, quo paucitas Cleri non sineret eum a temporalibus abstrahi, vel clericus spiritualia munia, ut civilibus operam daret, dimittere foret coactus. Spiritualia temporalibus etiam reipublicae utilitatem respicientibus sunt praeponenda. In congressibus vero catholicis opportune augendis, provide mixti laicis religiosis clerici doctiores.

Quandoque diaria catholica prudentiae limites excurrunt ea attingendo, quae satius foret silentio premere. Quod quidem in iis, quae a laicis scribuntur, frequentius videbis. Hac vero in re mallem tolerantiam haud mo-

dicam adhiberi catholicis scriptoribus. Qui saepe ad quaedam argumenta periculosa trahuntur ab impudenti calamo eorum qui vituperiis opplent sanctam religionem, saepissime autem ira accensi pensum diei parare coguntur. Si religionis hostibus relinquitur miseranda libertas illam laedendi eaque summopere abutantur, quidni liceat scriptori catholico illos redarguere sanamque propugnare doctrinam? Ne dicas velim, hunc tali modo se episcopatus erigere doctorem, quasi a Deo iussum acceperit pascendi oves. Absit, ut tam alte de se sentiat; quod si verum esset, nunquam satis istud reprobarem. Catholici ephemeridum scriptores praeiudicia fidei opposita convellerent, atque animos catholicos pedetentim pararent ad accipienda corde volenti Ecclesiae decreta. Si autem in suo sanctissimo ministerio claudicent, cum charitate moneantur; si errent, corrigantur, ne veritatis supremae iura deserantur. Cuiusdam moderationis magistri nullum volunt remittere lapsum catholicis scriptoribus et, quantum in iis est, ad rei catholicae defensores nuncium mortis mittunt. Intolerandum intolerantium hoc genus! Respiciant catholici intolerantes in Pium IX. Ipse enim paternae tolerantiae et benignitatis praebet exemplum erga scriptores catholicos. Meminit enim eos, religionis amore et in sanctam Sedem observantia ductos scribere, saepe arctatos, saepe provocatos, saepissime lassos, quae interdum minus apta quidem, semper tamen testantur catholicos sensus. Parcit ipse, non tamen parcens paternis monitis, quando sit necesse, sicut addit animos viresque, quando id mereantur scriptores et necesse duxerit.

CAPUT XXV.

DE CLERICORUM ET LAICORUM FIDELIUM VITA POLITICA.

Parum olim vita politica curarum afferebat civibus, quibus sat erat meminisse obediendi munus potestatibus, non propter iram sed propter conscientiam, nec non et obbligationem tributa solvendi. Modo vero in plerisque regionibus, ubi catholici versantur, mutata est non parum alea. Etiam populi, efflagitantibus maxime qui eorum nomen usurpant sibique tribuunt fructus alienorum et laborum et vectigalium, vocati sunt ad participanda sovranitatis tum iura, tum officia. Isthaec autem praecipue versantur circa electiones tum activas, tum passivas, tum civiles, tum politicas, nec non circa impressiones tum librorum, tum foliorum: efficax medium ad patefaciendas opiniones religiosas, politicas, oecumenicas cum magno civitatis vel commodo vel iactura, prout bene adhibetur vel abusio fit typographici auxilii. De his singillatim tum quoad clericos, tum quoad laicos catholicos.

Sunt Clerici cives; commoda a civitate recipiunt, atque ideo onera sustinere debent, tributa solvunt, aliaque gravamina sustinent proindeque et iura, sicut caeteri, illos possidere valde aequum est. De iuribus ne hic agitur, an de officiis? De utrisque; est enim unus idemque actus ius simul et officium, prout inspicitur sub uno vel altero respectu. Atque in primis statuimus, quosdam

actus Clericos omnino dedecere, ut illi quibus detinetur civica militia. Hi enim ut spiritui lenitatis opponuntur, quibus perpetuo informatus clericus esse debet, ita etiam illum abstrahent a muneribus proprii status, moribusque imbuerent a professione sua valde remotis. Qui enim tradunt clericorum statui nec phisice nec moraliter opponi militiam, utpote quae avertit illos a studiis, a pietate, a conscientiarum directione, is profecto vel nescit quid dicat, vel dicit contra bonam fidem. Sed Clericus, utpote civis atque in electorum censu scriptus, vocari potest ad ius dicendum in foro, ubi iurati sic dicti dirimunt quaestionem facti aque in criminalibus decernunt circa reitatem vel innocentiam accusati. Certum est, illis licere istud praestare, quum de caetero ad illud idem vi compellerentur. Non enim id repugnat sanctitati eorumdem instituti, neque istud officii, quod perraro continget implere, illos avertit a clericali munere exercendo. Si vero periculum adsit, ut declarata accusati reitate, ad poenam usque mortis deveniatur, Clericus iuratus, lato pro sua conscientia suffragio circa culpabilitatem, caveat ne participet quomodocumque cruentae vindictae legis, sed protestetur obsecretque ut parcatur a poena sanguinis.

Quoad vero electiones, incipiemus ab activis iisdemque municipalibus. Generatim loquendo quum Clericorum intersit, ut onera publica cum moderamine et nisi necessitate urgente imponantur, sapienterque impendantur publici proventus; quumque eorum etiam interesse debeat, ut non nimis gravetur populus, non prematur angustiis, neque ad incitas redigatur atque inconsulta proposita,

certum est Clericos posse electionibus municipalibus interesse immo potius debere, si quando eorum accessus spem admittat proficiendi. Paulo difficilior est casus, quo Clericus eligatur, ut inter patrios reipublicae administratores sedeat. Non diffiteor, hoc munus frequentiores ac plerumque etiam graviores inducere curas, quam quae in solis electionibus insideant. Non ausim tamen dicere, ab illis eos omnino declinare debere, quum laici iisdem licet distenti, rem tamen familiarem gerere diligenter haud desistant. Si tamen adeo sit exiguus operariorum Ecclesiae numerus, ut officia eorum necessaria sint et a curis publicis omnino absorberentur, tunc profecto linquenda res publica ordinis temporalis, ut conscientiarum potius provideatur necessitatibus, sicut exigit sanctae vocationis et officii ordo.

Quandoque autem licet non adsit caritas operariorum in vinea Domini Sabaoth, non expedit tamen ut clericus in medio consessus patrii consistat, quia exagitatis valde animis atque in partes omnino divisis, nihil boni obtinere possit, dum ceterum sibi crearet invidias, odia, impedimenta fortasse diuturna ad aliquid boni agendum ope apostolici ministerii. Si tamen non audeo effutire, removendos esse omnino clericos a communitatis administratione, dixerim tamen, quandoque in facti specie tam graves se se obiicere difficultates, ut clericus qui se in iis implicet inconsulto superiore, temeritatis notam non sit evasurus. Ita de clerico quoad munia civilia et electionem administratorum communitatis.

Quid vero de eo in politicis electionibus, et vocato ad sedendum coram patriis legumlatoribus? Profecto si

possit, servata dignitate gradus et professionis, servata modorum honestate atque urbanitate, ad electionem concurrere honesti et catholici legislatoris, quis audeat affirmare eundem esse a tanto opere removendum? Secus, si rem inutilem acturus non iniuria coniiciatur, cum periculo insuper sibi multa nec tam cito extinguibilia odia comparandi. Quod vero spectat ad acceptandum legislatoris munus, non ego reprobarem clericum, qui electus petat sedem legislativam, quando spes subsit, fore ut is religionem tutari remque publicam fovere valeat. Cum *Status* seu conventus generales in Gallia, in Pedemontio et alibi congregarentur, nonne et clerici sedebant proprii ordinis causam dicturi et patriae iura defensuri? Immo postremis hisce temporibus in Galliae, Sardiniae et Austriae regnis nonne et clerici sedebant in corpore legislativo vel in senatu? Contingere tamen potest, ut vel prudentia aliud suggerat, vel magis timeatur malum quam bonum expectetur ex hac immixtione, vel anceps haereat prudens homo in deliberando; tuncque nil agat clericus absque superioris sui cordato consilio.

Istud autem sufficiat quoad clericos in conspectu electionum seu civilium seu politicarum. Modo de laicis catholicis. Res iam iudicata videbitur ex his quae dicta sunt de clericis: non erit tamen inutile aliqua addere ad uberiorem materiae tractationem. Vix moror electionem administratorum communitatis, quum ad omnes cives spectet providere ut probi oculatique gestores communis rei patriae eligantur. Determinare autem, quando istud officii obliget in individuo, maxime sub gravi, non ita expeditum. Pensanda est res cum omnibus circum-

stantiis, quibus est circumamicta, ut aeque proferatur iudicium. Optandum est deinde, ut probi peritique viri rebus communitatis gerendis legantur. Sed, an consulatus officium ubique absque conscientiae laesura suscipi potest? An alicubi quidam actus ei annexa manent, quae viro catholico omnino repugnent? Non ausim neque omnino affirmare, neque omnino negare. Alicubi syndici actui civili matrimonii debent adsistere; neque in hoc piaculum esse videtur. Non enim hunc exercens actum, innuit se substantiam matrimonii reponere in actu a civili iure praescripto, ut legislatores praestiterunt, qui istud matrimonii ab eorum cerebro invectum numeris omnibus absolutum censuerunt. Syndicus praesentiam suam tali praebens actui, illum potest catholice spectare ut in se est, nihil ei addens, nil subtrahens. Quin immo in actu ipso, quod viri fortiter catholici gerunt, possunt contrahentes monere, in aula municipali non compleri nisi actum civilem, pernecessarium quidem ut sponsi iura coniugii et paternitatis, proles vero iura filiationis acquirant, verum substantiam coniugii, a qua benedictiones Dei derivant, sistere in religionis ritu, quod piaculum esset omittere. Ponendo actum iuxta civiles leges pernecessarium, syndici non excludunt actum religiosum, immo prudenter suadere possunt. Gerendo apostolatus civici actum, quem alius, ipso recedente, exerceret, syndicus etiam religiosum gerere haud prohibetur.

Quid vero si ipse, vel qui eius gerit vicem, consiliarius delegatus, manum admovere ex officio teneatur publicationi vel exequutioni legis civilis contra Ecclesiae iura, puta proprietatem vel libertatem latae? Partici-

paret tunc actui illicito, poenasque ob id ipsum ab Ecclesia inflictas incurreret. Ast quoniam hi casus non sunt inter communius contingentia, ipseque officialis potest hisce se periculis subducere renuntiando oneri, quod sine stipendio est sicque minus placens, qui in hanc salebram impingat, renuat agere seque tali officio eripiat, quod nequit sine Dei offensione sustinere. Hocque exemplum fidei et fortitudinis fideles poterit aedificare, ruboremque parere ignavis et ambitiosis. Si cuncti catholici illud meminissent apostolicum effatum, oportere nempe Deo magis obedire quam hominibus, profecto exequutio immo etiam prolatio legum impiarum quibusdam in locis evaderet impossibilis.

Electionibus politicis, generatim loquendo, laici participare debent. Quid? Sinent ne, manibusque demissis, ut improbi vel inepti mittantur ad patriae areopagum, leges ibi dicturi? Ne digitum quidem attollent ad removendum a patria tam ingens malum? Vulgare dictum: *Nec electi, nec electores*, quod certis in casibus stat, absolute et generatim sumptum, nequit sustineri. Electorales aulas petant itaque catholici viri, iisque se adiungant qui, probe sentientes, nomen proponant neque infensum Ecclesiae, nec suspectum. Abstineant a votis singularibus, quae nil efficerent, seque recte cogitantibus et pugnantibus pro bono adiiciant, ut bonum exitum sortiantur. Caveant tamen a malis artibus, licet hae adversariis placeant. Malae artes catholico nomini probrosam inurerent maculam. Ast nonne adversi hisce non utuntur? Nonne pugnandum armis aequalibus, ut victoria saltem sperari queat? Nequaquam. Non sunt fa-

cienda intrinsece mala, ne ad servandam quidem rempublicam. Tunc ergo inutilis lucta? Ne sic loquaris. Plerumque leges electorales malas artes vetant sub poena saltem nullitatis actus. Vigilent itaque boni electores, sique in aliquo ab adversariis vel contra formas praescriptas vel contra vetita peccatum sit, deferant ad indices malefacta. Proderit haec vigilantia tum ad adversariorum frangendam audaciam, astumque compescendum, tum ad victoriam malis arripiendam. Ast adversi mediis electivis utuntur haud nobilibus, quae tamen a lege non plectuntur, vel sunt probatu difficillima, si fiant contra legem. Suffragia emunt quanti plurimi vel extorquent electores terrificando, illis comminando vel crediti exactionem, vel desertionem officinae vel promptuarii venalis. Sic aestimantur electorum libera vota. Non certe hae artes aptae sunt ad conciliandam aestimationem systemati publicarum concionum de rebus politicis. Sed quid si acriores systematis propugnatores illud actibus suis dedecore conspergant? Ipsimet facti sunt laesae libertatis rei. Sed interim antequam systema praegrandibus rimis dehiscens fatiscat, immo ruat, caveatur ne mali maiora pariant mala. Dummodo nil agatur intrinsece malum, par pari referre licebit, atque ut ita dicam clarigationes exercere in pugnis incruentis electoralibus. Licebit proinde non modo impensas itineris, refectionis solvere electoribus, illosque etiam munusculis sibi devincire. Non enim illicitum est ad opus, utcumque licitum immo debitum et bonum, alios allicere, etiam proposita immo soluta temporali mercede, quemadmodum pueruli a genitoribus ad officium illiciis trahuntur Quod.

si id liceat, quando inducendus est aliquis ad suffragium ferendum prout dictat conscientia nostra catholica, tanto magis quando solum sit inducendus ad se conferendum in aulam suffragii ferendi causa is, quem scimus nobiscum sentire in persona eligendi.

Modo de laicis catholicis quoad passivam electionem. Summopere interest, ut probi atque gnari ii deligantur qui legibus ferendis sunt operam navaturi. Quibus temporibus conciones generales cogebantur, ii coalescebant ex flore nobilitatis, cleri coetusque medii. Hi tamen omnes plerumque de vectigalibus tantum imponendis agere debebant. Nullum gravamen populis imponebatur sine approbatione huiusce triplicis ordinis. Modo per latiorem campum discurrunt legumlatores a populo selecti, feruntque quandoque leges, quae tangunt etiam morum regulas iuraque conscientiae. Maximopere refert ergo, ut ad aulam legiferam mittantur, qui vere catholici sunt et probi. Electi vero, qui nationi vere prodesse poterunt, non debent referre pedem, nisi causas recessus gravissimas praeseferant. Generatim ideo loquendo, potest acceptari mandatum populare legislativum, immo quandoque debet. Circumstantiae tamen quandoque exurgunt, quae ancipitem tenere possunt virum catholicum, eumque immo urgere ad recessum. In duabus sistimus.

Prima stat in formula iuramenti praescripti. Pone, praescriptum esse iusiurandum obtemperandi generalibus legibus regni, earumque nonnullas Ecclesiae catholicae adversari. Vide quae dicta sunt in chartario italico. Dicerem, has proprie non esse leges, neque ad illas referri verba, multoque minus intentionem electi legislatoris. Sed verba,

prout sonant, accipienda, vulgaresque sub nomine earum proprie intelligunt, quae cum praescripta forma sanctioneque debita latae sunt. Hinc catholicus ea verba proferens iurando absque restrictione, posset scandalum parere pusillis. Quid si electus iam universim perque indubitata signa cognitus sit ut firmissimae atque infractae fidei vir? Quid si iurans absolute paratus sit, prima quae se obtulerit occasione, obsequium plenum praestare religioni verae, quam profitetur? Coniunctio moralis exigitur inter iuramenti genericam formam subiectamque restrictionem. Hoc sensu respondit s. Poenitentiaria; videturque responsum consentire anterioribus oraculis in persimili casu. Quid si adiectio restrictionis non permittatur, obruente ac praefocante vocem iurantis clamosa sedentium turba? Tunc intentio habenda pro facto, quod licet disruptum satis tamen patefacit mentem loquentis. Qui praeterea prima data occasione melius suam aperire poterit sententiam. Et sententiam catholicam non erubescat prodere, etiamsi inter atheos ipsi versari contingat. Ili eam excipient eiulando, quomodo daemones exciperent verbum veritatis a Christo prolatum. Sicque catholico contingeret, quod de divino capite est dictum: In propria venit, et sui eum non receperunt.

Alter casus salebrosus is esset, quo princeps solius vis materialis titulo et praevalentiae armorum sine iusto bello occupaverit territorium illius, qui protestatur de laeso iure suo, ne dum sit illi renuntiare paratus. Salebrosior immo esset conditio, si princeps de iure suo deturbatus esset romanus Pontifex. Enimvero exigit commune bonum, ut omnium iura in tuto ponantur, atque illis reverentia

exhibeatur. Nullum maius malum, quam opus iniustitiae quo concutiuntur vel ipsi cardines terrae. At si princeps eiusque familia imperscrutabili iudicio Dei impiorum conatibus solio exturbentur, minus profecto malum erit dicendum, quam si R. P. iure possessa ditione per vim expolietur. Non est enim familia, quae prae alia possideat, est ipsa Ecclesia in persona sui Capitis, quae possidet legitimis antiquisque titulis, possidet ut suam independentiam a regibus regnisque suamque actionis libertatem in conscientiarum regimine conservet exerceatque. Est itaque cuiusdam necessitatis catholicae haec possessio, quae si deficiat, R. Pontifex vel profugus super faciem terrae erit, vel quod fortasse peius, servus in cuiusdam regione principis qui hospitalitatem ei concedit pretio inaestimabilis et pernecessariae libertatis. Inquies: Poterit Pontifex proprium territorium servare et cum eo suam independentiam, etiamsi ei frustulum plus minusve latum fuerit ademptum. Ita plane. Sed quis dixerit, provincias iniuria abstractas non esse necessarias ad maiorem prosperitatem relictarum? Vel si liceat aliquam subtrahere provinciam, cur non et alias usque ad absolutam expoliationem? Nefas itaque, et maximum, romanam Ecclesiam vel minima eiusdem possessione expoliare. Iure ergo meritoque concilia excommunicationis poenam iecerunt in ista usurpantes vel tanto facinori adhaerentes.

Hisce praeiactis, qui in provincia a romano principatu abstracta eligatur, ut inter legumlatores novi regni sedeat, poterit ne tuta conscientia id muneris assumere? Rem haud facilem poscis, non tamen, ut mihi videtur, inextricabilem. Prima fronte acceptatio mandati videtur

implicita approbatio novi gubernii, sicque adhaesio actibus consummatae usurpationis, atque ita opus evidenter inhonestum. Ast aliqua sunt animadvertenda. Si probus catholicus id muneris a concivibus oblatum non suscipiat, provinciae illae, quamdiu duraverit earum novus possessor, mittent legislatorem improbum, vel saltem moribus principiisque acatholicum, cum ingenti patriae damno religioso simul et politico. Prudenter itaque iudicabit catholicus, Rom. Pontificem potius habere, ut sedeant boni quam mali in conciliis adversariorum. Catholicus acceptans mandatum suum accipere est dicendus, non a gubernio adverso, sed a concivibus, vidente, patiente immo subordinate et hypothetice consentiente R. P. regni domino. Iste legislator autem non sedet utique, ut legem novam malam accipiat veteresque impias probet, sed ut impediat nova mala iuxta vires suas, et cum facultate novas leges prudenter proponendi. Catholicus ad id muneris assumptus potest se restringere ad acceptanda praescripta utilia vel inevitabilia et parandam prudenter et legaliter viam triumpho iustitiae. Usque huc pervenire posse videtur ex praesumpta voluntate legitimi domini, nec non ex passiva acceptatione meri facti necessarii, quod omnino nequit vitari. Certe gubernium, licet contra ius inceptum et meri facti, necesse est, ut quodemumcumque modo procedat, ne fiat locus anarchiae cum tanta civium iactura. Verbo: catholicus acceptans talibus in adiunctis mandatum a concivibus, potest impedire maiora mala, quin tamen ullomodo participet actis usurpationis, vel illos quomodocumque probet. Haec innui, quae maxime pro Italia faciunt, quae *minima* in gentibus catholicis,

maxima vero ob honorem, quo pollet, Sedis apostolicae. Neque plura adieci, quia Concilium oecumenicum non respicit hanc illamve gentem, sed totam simul Ecclesiam. Ceterum de iuramento politico, electionibus, etc. consule documenta a Pio VI et VII relicta, nec non scriptores catholicos, ut Marchetti, Bolgeni aliosque (1).

CAPUT XXVI.

DE PROPRIETATIS ECCLESIASTICAE CONSERVATIONE ET TRANSMISSIONE

Acerrimum bellum nostris hisce temporibus ecclesiasticae proprietati est illatum. Alicubi enim Ecclesia non potest possidere, nisi cum venia civilium imperantium; alicubi civiles leges has proprietates neque agnoscunt, neque tuentur. Quae negativa agendi ratio erga proprietatem, quae non minus, immo magis quam caeterae oneribus gravatur, est indirecta eiusdem peremptio. Alicubi tandem, nedum proprietas ecclesiastica defectu tuitionis civilis evanescere per inanitionem coacta fuerit, violenter fuit direpta, solutis entibus moralibus, ut aiunt, quae eam possidebant. Facta ista iuri ecclesiastico et divino opposita, quis non dixerit etiam naturae iuri adversa? Ius enim naturae satis docet, uni individuo, sicut pluribus simul collectis pactoque sociali obstrictis, licitum

(1) Vide et nostram *Cleropedia sociale* passim; capite vero XIX agitur de Cleri agendi ratione circa folia et libellos politicos.

esse possidere. Itane libertas civium voraci numini, quod *Statum* vocant, velut alteri Moloch, debet litare? Sed tamen quomodonam entia ecclesiastica, quae nervis, ossibus et carnibus sunt compacta, subsistere poterunt absque externis, corporeisque subsidiis? Nonne collegium apostolicum loculos possidebat? Eo itaque devenimus, urgente fortasse idearum novarum progressu, ut ius naturale, ius divinum seu theocraticum pessumdaretur, ecclesiasticas proprietates rapaciter contrectando. *Ius naturale*. Quomodo enim rationi innitatur proprietas, quam non solum acquirat homo singularis, sed et plures simul inita societate, iam fuit abunde demonstratum (1). At proprietas Ecclesiae non modo commune habet hoc fundamentum cum proprietate individuali et collegiali vel sociali; sed etiam iuri theocratico, tamquam basi solidissimae, innititur. Deus enim, auctor societatis, ius non retinebit in ea possidendi quidpiam? Ministri religionis iudaicae et christianae semper aliquid iure Dei et nomine illius possederunt. Libri mosaici et leges, textus evangelicus idipsum clare testantur. Historia ecclesiastica refert, proprietatem Ecclesiae, quae pro Deo legatione fungitur, cognitam fuisse vel ab ipsis ethnicis imperatoribus. Quid amplius desideratur ad firmandum ius ecclesiasticae proprietatis? (2) Advenerunt tamen tempora, quibus nihil amplius est sacrum, non quod Caesaris, non quod Dei. Alicubi non profuit primus articulus Statuti politici Catholicismo obsequiosus; nihil

(1) Vide quae scripsimus in libro: *Libertà, Legge, Comunismo*. Ragion. VII.

(2) Vide opus supra memor. Ragion. IX.

expressa declaratio de inviolabilitate proprietatum cuiusque generis et absque exceptione. Quid valet lex contra civiles perturbatores? Eosdem autem, qui iura Ecclesiae, a civili etiam tam sarta tectaque, uno pastu vorarunt, videris conflare *Modum vivendi* inter duos reges Romae degere coactos, unum ex apostolica traditione, alterum vero ex lege tribunitia et praetoria. Siccine catholicus mundus ratum habebit, o homines foedifragi, quod chartae commendatis crastina die deleturi? Vel gubernia cuiusque gentis, ubi intermixti vivunt catholici, credent omni verbo vestro tametsi chartae commisso? Hoc esset usque ad aras fallere, sperare usque ad temeritatem. Sed quomodo vitabit ecclesiastica proprietas legales ungues? Formam supprimendo entis moralis ecclesiastici, ut aiunt. Quomodo vero? Possidendo nomine societatis privatae vel individuali. Oppido prima possessionis forma magis tutabitur Ecclesiae iura, si maxime statuatur ut, defuncto uno socio proprietario, subrogetur alter. Tunc enim quisque socius adversus alterum testis esse potest et actor ad impediendam proprietatis distractionem malamque gestionem. Haec forma tamen, praesertim si socii sint religiosi, suspicionem ingerere posset latentis Ecclesiae proprietatis. Potestas enim civilis, saepe Ecclesiae catholicae infensa et suspiciosa, facile posset dubitare de latente quadam fiducia, atque occasionem arripere excitandi proprietarium legalem ad illam fiduciam detegendam. Minus suspecta esset proprietas ab uno individuo apparenter possessa. Ast quia hic facilius potest naturae cedere, sicque proprietatem non suam ad haeredes transmittere titulo suc-

cessionis ab intestato, idcirco statim testamento disponere deberet in favorem alterius probi individui eadem onerati fiduciali obligatione, ne ad extraneos transeat haereditas filiorum.

Quoniam ineluctabilis eventuum necessitas id exposcit, haec possidendi ratio favore Ecclesiae, solo nixa vinculo conscientiae illius qui in facie legis societatisque civilis possidet, ab eadem Ecclesia probari videtur. Sic sanctae recordationis pontifex Gregorius XVI probavit institutum charitatis, ubi non ecclesiastica sed privata possessio coram civili lege obtinet, individui conscientia erga institutum ipsum devincta. Hanc possessionem legalem et adparentem non obstare voto paupertatis s. Pontifex declaravit. Concilium Baltimorense provinciale IV praesules monet, *ut securitati bonorum ecclesiasticorum sedulo prospiciant omni qua valent ratione. Ubi defuerit praesidium auctoritatis civilis, saltem testamento iuxta legis dispositiones scite facto, cuius duplicatum habeant, caveant ne bona sibi in usus ecclesiasticos commissa a suis finibus avertantur*. Huius intuitu s. Congregatio de propaganda fide 15 decembris 1840 decretum ediderat plenum sapientiae, quo forma praescribitur huic tutamini obtinendo. Valde tamen implexa et difficilis visa haec est forma tuendae ecclesiasticae proprietatis; proindeque Patres in decretis concilii provincialis Baltimorensis V statuerant, *singulorum episcoporum conscientiam onerandam esse, ut testamento, vel alio instrumento, consulant securitati bonorum ecclesiasticorum, quae penes se sunt: quorum testamentorum duplicatum exemplar apud archiepiscopum deponant, archiepiscopus autem apud*

seniorem episcopum, *intra tres menses a sua consecratione*. Negligens episcopus monendus a metropolita, atque ulterius cessans ad s. congregationem deferendus. Ecclesiastica proprietas igitur est modis omnibus servanda, ast quia tutiores non semper componi possent cum legibus hic vel illic vigentibus, idcirco si hinc est curanda maior bonorum ecclesiasticorum securitas, inde perpendendum est, ne possibilitatis transgrediantur termini. Ceterum in hisce modis seligendis absolutam securitatem quis poterit adipisci? Contenti morali certitudine, episcopi sciant se valde fecisse cum possibilia egerint. Haud plane mirarer, si quis invenerit me valde propensum ad iurium spiritualium coadunationem in persona R. Pontificis, veluti firmissimo centro. Sed quid mali ex hoc systemate posset exurgere? Nonne firmissima vis unita, infirmae vero dispersae vires? Certe civilia imperia eo sunt validiora, quo magis iura coeunt velut in propria sede et centro, in persona imperantis. Privilegia et exemptiones in provinciis dispertitae infirmarent rempublicam, nedum solident eam. Hoc quidem sub uno adspectu; sub alio vero haec provinciarum iura singularia dum minuunt potestatem supremam, illi adiutorium praebent hoc sensu, quod minus facile ea excuteretur. In imperio absolutae centralis coadunationis iurium, rebellium motus in metropoli excitatus cito diffunditur per provincias, quae illico metropolis declarationi adhaerent, dum contra provinciae privilegiis, statutis, usibus peculiaribus distinctae, metuentes suorum iurium amissionem, metropoleos declarationi magis resistunt. Alia vero Ecclesiae ratio. Ea enim de virtute in virtutem

magis progredietur, quo strictius episcopi adhaerebunt eorum capiti et dependent ab eo. Haec tamen ratio commercii inter hoc et illos, nec non dependentia eorum ab isto, non obstat, quin illi iidem velut apostolici delegati cumulentur iurisdictione etiam extraordinaria, quatenus necessaria aut saltem valde utilis visa fuerit ad negotia expedienda inter obstacula obiecta a *R. Exequatur*, R. Placito, verbo a lege civili, quae conscientiis quandoque obtrudere videntur. Idque de nuptialibus dispensationibus praecipue dictum intelligimus. Contigit enim quandoque, ut pro urgenti causa a s. Sede obtenta dispensatione in gradu proximo, v. g. 1° affinitatis, a guberniis non fieret exequutioni locus, tamquam si ipsa rigidioribus aethicos christianae principiis imbuta, melius catholicis conscientiis providerent. In hodierna societate religiosi ordines admodum precariam, illamque occultam, habent existentiam. Eorum proprietas debet occulta iacere, atque unice super honestate et bona fide quiescere. Quae proprietas occulta et mobilis commodius evadet productiva, si in syngraphas convertatur debiti publici, cuius fructus latori traduntur. Haec divitiarum capita brevi manu de uno transferri in alium possunt. Sicque retinetur proprietas, dum illa de uno in alium religiosum transitum facit. In hac salebrosa conditione religiosi perinde viverent ac clerici saeculares, qui simul coalescunt et vivunt iacto in commune virili portione ad impensas mensae et hospitii. Tributa solvunt exigendo aliquid minus in fructibus syngraphae praedictae, at dum haec a manu in manum per mortem alicuius transmittitur, non solvitur taxa ob ius successionis. Solveretur, si leges civiles

agnoscerent istud proprietatis genus ac tutarentur. Qui commodis non fruitur, neque is onera debet sustinere. Si vero proprietas esset immobilis, vel mobilis quidem sed constituta super publico titulo, ut testamento, instrumento, vel super actu publico, ut hypothecae, registrationis, tunc haec eadem transmissio proprietatis de uno in alium individuum, ubi corpora religiosa legalem non habent existentiam, fieri debet per actum publicum, puta donationis, testamenti, verbo quomodolibet, secundum tamen leges.

CAPUT XXVII.

DE RELIGIOSIS ORDINIBUS.

Religiosae familiae coram praesenti christiana societate, quam rebellionis daemon hic vel illic indesinenter exagitat, suntne adhuc opportunae? Si homines novos, christianosque novi generis audias, de omnibus et singulis claustralibus iam est conclamatum. Nobis vero alia omnino, ut mox dicemus, insidet opinio. Enim vero religiosae familiae, quae per totum catholicum orbem diffunduntur visitantque etiam quae gentes sedent in umbra mortis, a sanctis providisque viris sunt institutae; suntque opus divinae illius providentiae, quae Ecclesiae advigilat eiusque certaminibus participat. Num Ecclesia, quae pugnat quotidie contra inferni agmina, negliget milites, qui vario armorum genere contra eundem hostem pugnant? Et quoniam nunc cleri saecularis

acies attenuantur, neque modus est eas ad pristinam copiam revocandi, quis non providentiae gratias agat, quod operariorum defectum suppleat ope religiosorum, qui omni instructi sint armorum genere? Ceterum qui saecularis clerus exteris missionibus sufficeret, dum ipse ita deficit prae exiguitate numeri in domo propria? Sed dices, saltem illos regularium ordines modernae societatis christianae votis parum accommodatos, quod vitae contemplativae, activa post habita, incumbant. Quod multi nunc ea tantum aestiment quae materiam olent eique serviunt, atque ex adverso ea pessumdent quae spiritus sunt, non est mirum. Nunquam defecerunt animales homines non intelligentes quae sunt Dei. Verum quis nesciat, vitam spiritus potiorem esse, Deoque placentiorem? Quis nesciat, Christum spirituales Mariae effusiones praetulisse sollicitudinibus Martae pro rebus huius saeculi? Homines sancti, homines vitae interioris, en qui Deum iratum placant eum exorando, en qui societatem eruant ab illa Dei vindicta, quae pluit super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur. Plerique vero religiosi ordines actuosam vitam amplexi, se se pro animarum salute devovent, parati etiam ipsimet societati civili studiis, laboribus, perfectaque abnegatione non modicum afferre emolumentum. Qui tam utiles institutiones torvo inspicit oculo, is profecto proximi aversatur bonum societatisque decus.

Magnam tamen hisce diebus adversus religiosos ordines spiritus malus suscitavit invidiam. Atque hisce praeiudiciis imbuti etiam qui regnorum tenent gubernacula religiosis familiis adimunt existentiam, vel etiam

existendi potestatem, eis subtrahendo dotem legitime quaesitam, nec non ipsam, ut aiunt, civilem personalitatem (1). Attamen conatus spiritus tenebrarum eo usque nequeunt pertingere, ut omnino deleant de facie terrae regulares. Non ne civibus subtrahi poterit libertas se se consociandi ob bonum morale proprium et aliorum? An ne adimi eis possit facultas simul vivendi et possidendi, sin nomine alicuius privatae societatis, saltem individue? Quapropter quo minus religiosi homines offendant in leges vel laqueos captiosorum interpretum, caveant ne possideant titulo communi, sed individue potius coram lege, in communi vero ante conscientiae tribunal. Deinde sic vivant in communi, ut minus a clericis saecularibus discriminentur, minusque ad se rectorum civilium suspiciosos oculos trahant. Quod quidem obtinebitur, praesertim si ab episcopo sic dependeant, ut eius cleri portio sint et videantur. Privilegia exemptionis religiosorum, utilia tempore elapso, modo civilibus rectoribus male olerent, quippe qui occasionem sumerent dicendi, eos pendere a potestate extra regnum commorante. Cave tamen putes, nos velle religiosos non amplius dependere ab eorum praepositis in alma urbe degentibus. Hoc enim esset fundationis organismum destruere, quod absit a nobis. Optamus tamen, ut obedientia eorum superioribus religiosis non

(1) Lex saecularis, non agnoscens religiosos, non impedit eos tales esse. Ita Bouix, qui insuper agnoscit s. Pontificem infallibilem in approbandis religiosis ordinibus. V. *De iure Regularium* parte 2ª, sect. 1ª, cap. 5 et part. 3ª, sect. 3, cap. 1, tom. 1. Non autem tribuit simile privilegium auctoritati civili.

impediat subiectionem episcopo debitam in his potissimum, quae praetergrediuntur secreta vita privatae et sacerdotale respiciunt ministerium.

Non sum nescius, ordines, ut aiunt, universales, qui scilicet per totum catholicum orbem sub uno praeposito generali funduntur, magnas prae se ferre utilitates, atque ipsius catholicae Ecclesiae speciem referentes, magis abundare sanctis operariis in vinea Domini magisque inter se consociare dissita membra mystici corporis Ecclesiae; non sum nescius, ad id requiri unicam generalem praeposituram, quae posset quandoque cum ipsa dioecesana auctoritate contendere. Scio praeterea, iam a canonibus sacris praestitutum, ut in his quae curam animarum, sacrorum verbique administrationem spectant, episcopo dioecesano subiiciantur. Nemo tamen non videt, episcopum indigere, ut sibi integrum sit in religiosis familiis in dioecesi commorantibus eos operarios deligere, qui magis dioecesis necessitatibus ac bono valeant providere. Quare faciliter poterunt ordinarii cum praepositis localibus convenire, ut praesto sit certus sacerdotum numerus dioeceseos necessitatibus proportionatus, et episcopi eiusdem nutu in vineam Domini descendere paratus. Verum dum opto, ut religiosi subsidio sint episcopis, declarare propero, me ordines generales, ut aiunt, anteferre particularibus, dioecesanis nempe, vel provincialibus vel etiam nationalibus. Illi enim, per universitatem proprii instituti, catholicae Ecclesiae magis retrahunt imaginem; deinde ex amplitudine soli, in quo sunt consiti, maiorem vitae hauriunt vigorem et fortitudinem. Tam lata communicatio vires addit, subsidia procurat, magisque vitales

eosdem reddit in Ecclesiae sinu. Episcopi ante omnia ob oculos positum habent bonum suae dioeceseos, Ecclesiae videlicet cuius consecrati sunt sponsi; et quidem iure. Ordinum vero regularium praepositi generales praecipue intuentur in Ecclesiae universae bonum propriique ordinis prosperitatem: idque pariter est secundum rationem. Iam vero quis non videat dum Ecclesia a generalibus ordinibus magnum trahit emolumentum, non idem derivare singulos episcopos pro suis dioecesibus?

Familiae claustrales facilius obtinent, ut religiosi possint ad ordines provehi titulo paupertatis. Non ita clerici saeculares, qui titulo paupertatis nequeunt ordinari, nisi petita pontificia potestate, quae urgente necessitate tribui solet. Et quoniam de clericis iterum est sermo, duo adiicienda existimo. Quare titulus exigitur ut conditio obtinendorum sacrorum ordinum? Ne in dedecus ordinis clericus mendicare cogatur? Quando vero clericus poterit ad emendicandi vilitatem descendere? Quando prae senio vel longa infirmitate ineptus fiat ad labores ministerii sustinendos. Si igitur episcopi, piis fidelium conatibus adiuti, curent excitari gerontocomia vel nosocomia clericalia, abibit a clero timor egestatis et malesuadae famis. Clerici enim bene valentes et laboriosi dum altari serviunt, de illo modicum saltem pastum trahere poterunt. Opportunum etiam fiet excipere hospitio validos clericos praesertim floridae aetatis, iisque pro necessitate uti ad munia oeconomi vel coadiutoris parochialis, concionatoris quadragesimalis, atque etiam directoris exercitiorum parochialium. Hinc si contingat, ordinandum esse clericum titulo ca-

rentem, facile esset ut s. Sedes indulgeat conferri ordines vi tituli *mensae communis* vel dioecesani apostolatus. Ita enim fiet, ut ille clericus locari possit in illo presbyterorum seminario vel applicari evangelicae praedicationi in dioecesi, donec idoneus evadat ad parochi implendum officium. Quod puto meliorem parere effectum, quam si quis ad titulum specialem ordinetur alicuius paroeciae. Contingere enim facile posset, ut clericus ille, factus inter annum presbyter, sit illo officio minus accommodatus ob defectum prudentiae, vel gravitatis, vel etiam ut haec agendi ratio quamdam aemulationem pariat inter provectiores, qui dolebunt sibi alium praeferri non alio titulo quam paupertatis. Ceterum video Patres Baltimorenses decrevisse, ut ordinationes fieri possint titulo *missionis*, et s. Congregationem id probasse, si tamen mentio adiiciatur *apostolici indulti* ne existimetur, id ab Ordinariis, fieri *ordinaria potestate*. Requiritur et iuramentum ordinandi, se nempe perpetuo missioni, cui deputatur, esse inserviturum (1). Quid autem vetaret, hanc praxim extendere in gratiam missionum, quae interius fiunt, seu in dioecesi?

Certe religiosi in dioecesibus ubi degunt confessiones excipient aliaque administrabunt sacramenta, pietatem fovebunt, praedicationi vacabunt tempore Quadragesimae, mensis mariani atque in festis sanctorum: at maiori auxilio egentes episcopi, non illud libere et tempore opportuno poterunt recipere. Deest illis libertas in deligendo hunc vel illum sacerdotem regularem, utpote magis accomo-

(1) V. Conc. provinc. Baltimor. conc. 3, Instructio.

datum certo muneri, praeter quam quod minus norunt quem elegerint in conventu, atque attestationibus praepositi omnino stare debent. Postquam autem religiosum delegerint ad aliquod officium, puta ad docendum in seminario, minus tuto hoc utentur auxilio, quum isto possint a superiore regulari ad arbitrium privari. Urgeret immo provisio parochialis beneficii, cuius vir religiosus esset omnino capax, dum cleri saecularis penuria est magna. Si regularis praelatus peteret paroeciam concedi communitati religiosae, lex concursus in perpetuum sileret, atque episcopus iuri eligendi ad illam paroeciam illamque conferendi in perpetuum valediceret. Quod si praelatus regularis concederet suo religioso cum debita facultate conferri parochiale beneficium, provisio in persona illius semper maneret instabilis et caduca, quum ad libitum superioris claustralis possit ipse removeri. Verbo, episcopi regimen est illaqueatum quoad personas religiosas sacris ministrantes; sicque ordines religiosi universales dum sub quodam respectu utiliores Ecclesiae evadunt, sub altero laedunt episcoporum libertatem, qui religiosorum uti solent opera in pastorali officio. Quomodo itaque providendum? Quid consilii capiendum ut simul conciliari possit tum maxima utilitas quam capit Ecclesia ex generalibus ordinibus, tum dioeceseon utilis ac libera administratio in manu episcopi? Qui votis solemnibus urgentur, pergant Ecclesiae universae, ut antea, opem ferre ad nutum suorum praepositorum, a quibus huc illucque pro varietate necessitatum transferri queunt. Atque ita Ecclesiae serviant ad normam proprii ordinis constitutionum, nec non ecclesiasticarum legum, quae et exemptionibus religio-

sorum ob bonum Ecclesiae universalis et episcoporum iurisdictioni in spirituali animarum regimine iam sat providerunt, quantum fieri possit. At plures extant congregationes hominum, quae nonnisi simplicibus urgentur votis. Sola Gallia tot peperit postremis hisce temporibus, quot vix poterant excogitari (1). Hae peculiares congregationes si ad speciale, puta nationale, territorium sint circumscriptae, facilius subdi poterunt episcopis quoad illos saltem individuos qui in opus ministerii adhibeantur. Sed demus, has etiam congregationes ad bonum universalis Ecclesiae institutas esse, ut earum quamplurimae, quarum caput Romae vel Lutetiae sedeat. Nonne earum generales praepositi possent episcopo tradere suo nutu dirigendos quotquot religiosos ei opus sint ad munia ordinaria pastoralis curae? Hi religiosi, minus solemni nexu congregationi adhaerentes, opportunius traderentur absolutae episcoporum iurisdictioni, dum spiritu coniuncti pergant esse communitati propriae, ad quam veluti ad portum, relicta navicula, possent remeare. Quod si contingat alicubi, totam religiosam domum ob ministerii necessitatem subiici episcopi mandatis, ea cum aliis eiusdem ordinis specialis fraternitatis nexu pergat esse coniuncta: ex quo fiet, ut et simul pareat episcopo praecipienti ob bonum urgens suae ecclesiae et coniuncta permaneat communitati, ad quam pertinet ex voluntaria electione et professione. Optandum esset ut

(1) V. historiam ordinum relig. ab Heliot digestam, a Cibrario auctam et in linguam italicam versam. V. etiam Henrion, *Tableau des Congr. rélig. formées en France depuis le dixseptième siècle.*

Patres rationem invenirent consulendi simul et Ecclesiae universalis utilitati, et etiam necessitatibus, quibus premuntur singularum dioeceseon moderatores.

Ordines religiosi non modicam opem ferre possunt hodiernae societati, quam valde infirmam inficiabitur nemo. Ast arduum negotium est illis invenire locum in sinu eius, ut possint docendo, praedicando, orando, sacramenta administrando infirmam sanare. Iam vidimus obstacula, quibus subiiceretur eorumdem emendicatio, conservatio ac transmissio proprietatis; modo alia memorabimus. Christiana societas prout a guberniis, vel iis qui se opinionem publicam nuncupant, exhibetur, non sinit regulares neque emendicato victu neque ex bonis immobilibus directe comparato degere. Eadem insuper non patitur aspectum agminum claustralium. Necesse itaque est, ut religiosi sint, at esse eodem tempore non videantur. Hinc prudenter in locis, ubi suspiciosa sunt gubernia et malo animo comparati cives, non augentur domus religiosae neque numero neque amplitudine, vel subtrahitur etiam habitus proprius instituti, ne mali videntes ira tabescant et persecutionis gladium acuant. Hinc presbyterorum saecularium cum insignibus incedant vel etiam laicorum, si necesse sit, vestes gerant. Valde immo utiles habeo congregationes, in quibus laici sacerdotibus admixti reperiuntur; non parum enim boni a laicis etiam est expectandum. Sed quomodo congregationes istae compactae simul permanebunt, si earum membra per varias regiones in opus ministerii dispergantur? Dispersa membra retinere possunt et servare regulam communem, quantum patietur occupatio apo-

stolica, religiosa exercitia praescripta poterunt exequi, spiritu iuncta licet corpore divisa. Cum vero non amplius urgeat necessitas linquendi domum professionis, tunc ea est repetenda, sicque communitas materialis unionis ope compleat spiritualem. Audio alicubi, in Germania praesertim, extare congregationes ita comparatas magisque accommodatas salebrosis hisce tempestatibus. Ceterum utilitatem Regularium sine exceptione aetate hac nostra non unus splendido sermone demonstravit. Quod idem, congestis Conciliorum et ecclesiasticorum scriptorum testimoniis, probavit S. P. Pius VI, qui insuper abusus inter ipsos serpentes ait causam suppressioni non praebere, maxime vero potestati laicae (1). Hos vero Regulares animarum zelo incensos esse debere atque immo aptissimos animabus curandis, non unus perhibuit (2). Meminerim denique, opportune etiam hisce diebus ab aliquibus demonstrari, quam arctum foedus possit iniri inter statum religiosum et pastorale officium (3). Maxima certe christianae societati utilitas depromitur e regularium coetibus. Quis autem ambigat, quominus Concilium tanto auxilio uti velit?

(1) V. Epist. ad Eminentis. Rupefulcadium in tomo I, docum. inedit. p. Theiner.

(2) V. Lezana, et Bouix, *De regularibus*, tom. 2, part. 5. cap. 2.

(3) Scio, opusculum gallicum fuisse hoc sensu digestum, nescio autem an fuerit vulgatum.

CAPUT XXVIII.

ABSTINENTIA ET IEIUNIUM.

Si quosdam audias etiam catholico nomine donatos neque omnino alienos a legum ecclesiasticarum observantia, Concilium Vaticanum non modicum vulnus inferet catholicae disciplinae abstinentiae quadragesimalis et ieiunii. Quod multo magis creditur de quatuor temporibus anni, nec non de cuiuscumque hebdomadae feria VI et sabbato. Si nobis lucta esset ineunda cum inimicis crucis Christi, quorum Deus venter est, oppido diceremus, nihil nos habere commune cum idololatris carnis et sensuum et Antichristis, quia Christum crucifixum nolunt omnino sequi. Provocaremus illos ad antiquitatis sacrae vetustiora monumenta quae evincerent, eam poenitentialem disciplinam institutionis esse apostolicae, non parum immo prodesse vel ipsi corporis saluti, ut opportunum remedium contra intemperantiam, quae tot devorat epulonum vitas; quadragesimalem abstinentiam provide quotannis occurrere vere novo, quo sanguis ebullit magis et magis opus est carnis mortificatione. Quod animadversum fuit etiam a medicis acatholicis (1). Verum nobis res est cum multis aliis, qui rationibus specie momentosis impetunt leges ieiunii et abstinen-

(1) Horum testimonia vidi in aliq. Ephem. Consule insuper Zacchia, *De' cibi quadrag.*; Descuret, *Medicina delle passioni*; Scotti, *Catechismo medico*.

tiae. Aegre et coacte simul fatemur, hac tempestate paucos ieiunii, paucissimos abstinentiae adimplere legem. Id autem communiter contingit ob tepefactum fervorem pietatis et vitae sensualis praedominium. Contra quae rectissime se rigidam immo inflexibilem praebet Ecclesia. Quae si morem gereret corruptae generationis cupidinibus, vix ac ne vix quidem christianae vitae in societate christiana remaneret vestigium. Si enim tollendae leges essent, quia multi earum transgressores, malitia hominum, qui sunt in malum proni ab adolescentia sua, contra omnes leges, praesertim minus commodas et placentes, insurgeret, ut illae de medio auferantur. Aiunt neque ingens malum esse, quum non agatur nisi de legibus Ecclesiae. Reponimus. Nonne ipsa natura suadet, ut castigetur, in camo et fraeno constringatur caro, quae spiritui rebellat, et per quae quis deliquit et dominum suum offendit, per eadem torqueatur et fiat satisfactio? Deme abstinentiae et ieiunii leges, et quae reliqua erit in mundo catholico imago Christi crucifixi et per quadraginta dies in deserto ieiunantis? Si multitudo praevaricatorum causa iusta foret abolendi leges christianae professioni inhaerentes, quot, hercle, Decalogi praecepta in tuto remanerent?

Non est malitiosus, non animalis homo, qui me tangat, sed potius humana infirmitas, vel incommoda in dies aucta valde me commovent. Nonne in praesens corporis habitus, ob causas vitiorum ex propria voluntate vel haereditate involuntaria acceptas, flaccescunt? Nonne continuum et non intermissum horarum spatium, assignatum publicis curis expediendis et officiis implendis, peculiarem

exigit qualitatem ciborum et opportunitatem? Audies persaepe catholicos viros, haud Ecclesiae legibus adversos, queritantes, se non posse per tempus prolixum conclavis adhaerere grammatophylacio atque insistere vacuo stomacho vel cibis esurialibus oppleto, nempe legariis indigestis, quae inflant corpora, non autem enutrinnt. Si vero reponas, piscium saluberrimum esse obsonium, atque perplures Pythagorae sectatos diaetam longitudinem vidisse dierum (1), regerent illico longe alia donatos illos fuisse corporis constitutione, minus vitae activae vel animi contentionibus indulsisse: sique addas, Hieronymum v. g. poenitentem duxisse vitam, afflictationi corporis addendo mentis labores, respondebunt illico, exempla extraordinaria perinde valere contra factum hodiernum penitus universale ac si neutiquam extarent. Quis non videat autem, nunc vitam activam patere magis atque in omnibus hierarchiae gradibus explicari? Ingens enim libido materialis progressus, maior necessitas operandi, ad victum quaeritandum et onera publica solvenda, homines reddiderunt in quotidiano pensu occupatissimos. Ieiunia, aiunt, abstinentiae sunt otiosorum, quod non sumus nos. Adde ciborum quadragesimalium caritatem, raritatem, qua fit ut incommoda evadant familiis haud valde opimi census. Haec omnia in causa sunt, ut appetantur novae benignitates ab Ecclesia, semper dulcissima Matre. Parcat, quaeso (sic rogant tantum non omnes), parcat a praecipienda ab-

(1) V. Zacchia, Scotti, aliosque. Praeiverat s. Athanasius, qui de ieiunio dixerat: *Morbos sanat, distillationes corporis exsiccat.*, l. 2, *De Virg.* Nec dissimilia referunt Chrys. et alii.

stinentia sabbathi, parcat intuitu infirmitatis christianorum et in honorem B. M. V., et illius loco suggerat breve pietatis exercitium, quod qui expleant, indulgentias lucrentur, maiores vero si die illa, ob poenitentiae studium, indulto frui renuant. Aliqui immo excurrunt adeo, ut abstinentiae legem sublatam velint etiam qualibet feria sexta. Quorum intemperans votum improbare non dubitamus. Quid? quo ipso die Christus tot passus est dolores et mortuus est, tu ne poenitentiae quidem speciem poteris portare? Haeccine similitudo inter Christi et christianorum vitam? Quinam christianismi reliquus erit aspectus, si omnis poenitentiae species auferatur?

Rationes, quas praeiecimus, optabile reddunt temperamentum aliquod etiam circa ieiunii legem. Quemadmodum praefinitur aetas a qua urgere incipit lex ieiunandi; ita videbitur opportunum ad tollendas aculeatas anxietates aetatem statuere a qua eadem obligare desinat. Iterum videtur optandum etiam, ut magis definita extarent incommoda, vel curarum genera, quae a ieiunii lege eximant. Profecto viri sincere catholici non audent votis attingere sacrosanctum quadragesimale ieiunium abstinentiae sociatum ab esu carnium, quod tam vetustae et venerandae originis est tamque opportunum tempore veris, quo sanguis inardescere incipit, et ante dies memoriales passionis Domini. Obsecrare tamen auderent viscera pietatis, quae gestat sancta mater Ecclesia, ut quadragesimale ieiunium ex quotidiano reddat minus frequens ac plane discontinuum. Id efflagitant non pauci, atque expectant a christiana sapientia et paterna bonitate Vaticanorum Patrum.

Dicam brevi et aperte quid sentiam. Ac primo non diffiteor, nunc plures esse quam retro, quibus sin impossibilis, gravis tamen non parum fiat abstinentiae et ieiunii lex, etiam apostolicis indultis, ut assolet, temperata. Verumtamen longe plures nec tam exilis sunt corporeae constitutionis, neque tam infirmae valetudinis, neque corporaliter vel etiam mentaliter laboriosae vitae, ut ieiuniis, prout hodie servantur, impares omnino sint dicendi. Quando vero adhuc multitudo capax perseverat servandi legem, quae tantam habet existendi rationem, quis duxerit, eam esse omnino tollendam? Reponunt, paucos nunc esse, si clericos excipias, eiusdem observatores; in tabernis praesertim illam omnino oblivioni traditam immo spretam; catholicos viatores illic diversatos ioco et cachinnis exponi, quos vel ipsi fundunt pueri cauponii. Si autem inobservantiae malitiosae ratio habeatur, ne feriae quidem sextae maioris hebdomadae adhibebitur respectus, et christianae mortificationis vel umbra disperibit. Malitia nullam promeretur indulgentiam: qui autem itinerantur, maxime, ut pluries obvenit, solius oblectamenti gratia, aliquam pro nomine Iesu et auctoritate ipsius sponsae dignentur pati contumeliam. Martyrium hoc erit incruentum minusque durum, sed tamen Christo valde placens, qui profitetur se non agniturum eos, qui erubuerint christiani videri. Neque aetatem, a qua desinat ieiunii lex, necesse est ut Ecclesia determinet. Sexagenarius enim, si ab illa se eximat, potest anxietates deponere, nixus auctoritate probatorum doctorum, ut s. Alphonsi et plurium qui eum tuto pede sequuntur. Quod si validus adhuc ieiunio

fidelis maneat, meritorum thesaurum sibi coacervatim acquiret. Non pro viatoribus, multoque minus pro epulonibus tollenda vel temperanda lex abstinentiae vel ieiunii est. Qui vero cancellis haerent, vel in officinis campisve sudant et algent, iidem Ecclesiae iam experiuntur benignitatem. Verbo : ieiunii et abstinentiae leges, prout extant, ab Ecclesiae indultis temperatae et doctorum epicheia, non sunt supra humeros christiani populi. Nullam proinde urgentem agnoscimus necessitatem, ut Concilium lege omnino generali illas mitiget vel coarctet. Non autem ducerem inopportunum, si episcopis facultatem impertiret abstinentiam vel ieiunium intra certos limites coercendi in propria dioecesi, ubi hoc ob varia personarum et locorum adiuncta valde expedire compertum habuerint. Istud enim pluribus in regionibus iam factitatum cerno.

Profecto ieiunii lex et abstinentiae iam per indulta pontificia sensim fuit attenuata. Sic ova et lacticinia, quae tempore saltem quadragesimali erant vetita, hodie fere ubique per apostolicam gratiam licita evadunt diebus esurialibus etiam a cineribus ad pascha. Sed et intimius lex illa poenitentiae modificata cernitur in Galliae et Germaniae dioecesibus. Summus enim Pontifex episcopis postulantibus facultatem impertivit dispensandi pro singulis dioecesibus a sabbati abstinentia. Sic actitatum lego in dioecesi parisiensi, ambianensi, aurelianensi, aliisque nonnullis (1). Longe plus sunt fortasse progressi praesules provinciales Baltimorae, qui preces supplices ad

(1) Mattés in *Lexico Encyclop. theolog. cathol.*, tom. 12, art. *jeûne*.

sanctam Sedem miserunt, ut tollerentur ieiunia in feriis IV et VI adventus. Exhibetur ea de re petitio: sed gratia pontificia plena haud effluxit. Dispensatur enim a ieiunio feriae IV: sed illud feriae sextae fuit mordicus retentum. Inconveniens revera visum fuit, ut diebus praecedentibus nativitatem Domini in humili et poenali loco vel minimum evanesceret poenitentiae vestigium. Ita enim christiani memoriam ortus Domini et eius mortis absque ullo poenitentiae signaculo recoluissent; quod absolute dedeceret. Exhibet Concilium Baltimorense provinciale VII epistolam Congregationis *De propaganda fide*, in qua hortatio continetur ad retinendum ieiunium pervigilii apostolorum Petri et Pauli, et insuper decretum eiusdem Congregationis, die 22ª novembris ann. 1840. Praeterea dispensatio a cibis esurialibus, seu facultas concedendi usum carnium die sabbathi petita fuit in perpetuum a patribus Concilii Baltimorensis, sed tantum permissa fuit per annos viginti, ut videre est in Baltimorensi IV ubi extat decretum S. C. Propag. Fidei. Quid autem istud probat? Nil minus, quam Ecclesiam lento gradu incedere in dispensationibus impertiendis. Re enim vera vix subesse possunt causae permanentis dispensationis, quae ad exporrectas protendantur regiones. Hae autem causae, licet ex se non futiles, non semper tamen erunt natura perpetuae, adeo ut ieiunii lex certis in ditionibus in toto vel ex parte sit irrevocabiliter perimenda. Fieri enim potest, ut ciborum esurialium penuria sensim minuatur, vel ei suppleatur facilitate transvectionis et mobilitate commercii, quod hodie magis frequentia vehiculorum longe citatius

equo vadentium illud videtur quasi ementitum arguere: *Non omnis fert omnia tellus.*

Hisce praestitutis, arbitramur, vix expectari posse ut Concilium Vaticanum universali canone in perpetuum valituro leges mitiget abstinentiae et ieiunii. Non tamen incredibile censemus decretum aliquod, quod episcopis permittat facultatem dispensandi, maxime ad tempus praefinitum, a ieiunio, puta feriis IV hebdomadarum adventus, vel concedendi carnium usum totius anni sabbathis. Quare vero mitius agi postulatur in abstinentia sabbathi, quam feriae sextae? Rationem mihi videor ex hoc posse haurire, quod de iure communi esus carnium in die sabbathi non sit prohibitus; atque talis abstinentia potius ex honestate est ac consilio. Cadit tamen sub praecepto ubi talis vigeat consuetudo (1).

Inquirentibus in causas ieiunii et abstinentiae tantopere hisce diebus proculcatorum visum fuit eas invenisse in duobus abusibus, qui Ecclesiae doctoribus et magistris quodammodo imputantur. Sunt vero hae causae, iuxta Mattés (2), nimia facilitas dispensationum sine aut cum futili motivo, deinde particulares minutiae casuistarum, qui vel uncias pensant ciborum permittendorum. Duo tamen solummodo volumus animadversa. Et primo Ecclesia, ut pia mater, prona est ad gratiam et indulgentiam. Si frequenter hanc impertiatur et affatim, id tribuas velim dexteritati oratorum vel etiam medicorum laxitati in effingendis vel probandis causis

(1) V. Pirhing. in 3 decret., tit. 46.
(2) In praenot. *Lexico Encyclop.* loc. mem.

exemptionis, non autem animarum rectoribus, qui innituntur postulantium narrationibus, et si benigniter faciunt, semper conditionem subintelligunt: si vera sint exposita. Quapropter dispensationum multitudo tribuenda est petitionum facilitati, quae proponuntur ob causas, aut reales aut apparentes, et postulantium conscientiae relictas. Minusculi autem calculi quantitatis escarum, quae scrupulatim fiunt a casuistis per uncias et atomos, vitari non possunt, semel ac habenda sit ratio non solius qualitatis sed et quantitatis ciborum, ut in ientaculo vespertino vel meridiano, quo modificata est lex de unica refectione. Graviores magistri morum, ut s. Alphonsus, enumerant etiam uncias permissas in collatiuncula esurialium ciborum. Ex quo fas erit concludere, relaxationem in ieiunii lege interpretanda vel servanda potius ortam esse ex sensuum praedominio et fidei remissione.

Ceterum dum coniectare studeo, quid actura sit Vaticana Synodus circa legem ieiunii aliave id genus, nolim putaverit quispiam me audacter allaturam Athenas esse noctuas vel apud Samios vasa. Profiteor me canem mutum ignarumque coram tanta sapientia Patrum, et silentium mihi convenire plus quam verba proferre doctrinae. Attamen benignissimi pastores, et qui omnibus praeest infallibilis pastor pastorum, veniam mihi dabunt, si et ipse lapillum ad tantum extruendum aedificium catholicum deferre auserim. Iter christianae immo et pastoralis praxeos complanare praesertim in votis habeo, speroque me saltem ita scribendo occasionem praebiturum aliis meliora dicendi. Quod mihi satis esse

posse crediderim. Ceterum devito quaestiones difficiles et intricatas, vellemque ut theologi quaestiones pure scholasticas declinarent, in illud unum intendentes, ut communes hostes invadant ac profligent. Si quid boni inter plura verba mea viderint Patres, prae laetitia lacrymae prosilient mihi: sin secus, intentionem aestiment, quae bona est, ut sentio, et lubentia perfundar magis quam quisque alius. Si donum sapientiae, quod Deus humilibus concedere solet, non acceperim, accipiat saltem ipsemet quod minimum illi possim dicare.

CAPUT XXIX.

COMMUNIO CATHOLICORUM CUM IUDAEIS ET HAERETICIS.

Communio cum iudaeis et haereticis in vita et post mortem momentosum est doctrinae practicae caput, dignumque in quod patres conciliares mentis aciem convertant. Adstat enim hinc ius decretalium, iuste rigidum et inflexibile, illinc vero facies societatis hodiernae, quae aliud videtur exposcere. Atque primo graviter iure pontificio et conciliari vetitum est christianis famulatum praestare iudaeis, in eorum domibus ministrare, ancillari, eorum filios sumere lactandos, et alia huiusmodi. Non is profecto sum, qui velim probare arctam consuetudinem christianos inter et christiani nominis infensissimos hostes. Omnes enim norunt, quam apertius olim et acrius iudaei oderint christianos, eorum fidei et personae insidias struerent, blasphemias in eos

conspuendo et contumeliosa verba. Adde etiam minus decere, ut christianus haebreis serviat, novus Iacob seu primogenitus Dei imitatoribus Esau, qui Dei repudiarunt haereditatem. Hodie tamen quum iudaei minus aversentur catholicos, fortasse ob indifferentiae plagam, quae corda ex utraque parte absumit, videtur aliquanto mitius agendum cum fidelibus, qui necessitate compulsi iudaeis praestant illa servitii opera. Minus enim ab his aetate hac nostra odio habentur et contemptui, neque christianae religioni amplius gestiunt ludificari iudaei, sicut olim Christo flagellis icto et cruci suffixo. Hoc ipsum quidam perviderat, postremo saeculo iam exeunte, cuius haec afferam verba. « Ubi nullum deserendae religionis periculum nostris immineat, culpa vacabit mutuus vitae usus inter iudaeos et christianos certis quidem limitibus circumscriptus. Quam sententiam vulgatam iam apud morum magistros receptamque illustravit eleganti dissertatione faecundus aeque ac doctus Fassonius, in academia nostra theologiae professor et mihi quippe ipsius olim discipulo honoris causa semper nominandus. Etenim cumulate effecit, integrum nunc esse christianis iudaicos coetus frequentare, ipsorumque sacra spectatum venire, quum praecipua vetiti illius, ac ferme unica causa conciderit » (1). Ita theologus noster, quem tamen veritatis et prudentiae fines aliquantulum transiliisse non diffiteor. Quod ex dicendis patebit magis.

Fateor iudaicam exacerbationem adversus catholicos se remisisse; et adderem etiam, optare iudaeos ut chri-

(1) Regis, *De iudaeo cive*, lib. 3, cap. 27.

stiani, quorum famulatu utuntur, festos dies iuxta Ecclesiae praeceptum sanctificent, atque libertatem relinquunt eis ab omnibus curis ut Deo possint vacare. Probe enim sciunt, christianos quo sunt erga Deum devotiores, eo fieri sollicitiores in officio magisque fideles in exhibendo famulatu. Diversam hanc animi dispositionem aestimandam esse, quando agatur de commercio vitae christianos inter et iudaeos, nemo est qui ambigat. Ceterum pro varietate adiunctorum variare conditionem famulantium christianorum in iudaeorum domibus, satis superque patet. Accidere etiam potest, ut maius periculum animarum sit in iis, qui haereticis, quam qui iudaeis praestant servitii operam; nam illi saepe proselytismi flagrant ardore, hi vero nuspiam gentium. Cave tamen inde inferas, nos censere abradendas esse veteres leges, vetantes commercia vitae christianorum cum iudaeis. Ad eas enim videmus provocare Benedictum XIV, pontificem propinqui saeculi, neque intolerantiae, neque angustae scientiae arguendum; ad eas etiam concilia dioecesana aetatis nostrae (1). Duae sunt praecipuae causae antiquae huiusce prohibitionis, periculum nempe perversionis atque religionis dignitas et decorum. Damus libenter, periculum illud prorsus evanuisse pluribus in regionibus. Sed ita ne ubique erit, et cum periculo perversionis sublatum ne pariter erit aliud, contrahendi videlicet morbum religiosae adiaphoriae? Absit periculum etiam dedecus inferendi religioni Crucifixi per verba vel actus mimicos; deesse tamen nequit intrinseca ea in-

(1) Bened. XIV, Const., *A quo primum*, an. 1751.

convenientia in hoc sita, ut infideli serviat fidelis, per baptisma libertate donatus. Quare hic, si nonnisi serviendo, et infideli, sibi victum possit quaerere, danda erit ei venia, semoto tamen duplici periculo, de quo antea. Nihil tamen agat absque consilio confessarii atque ordinarii venia, qui de absentia periculi cognoscant atque praesentia necessitatis victualis. Huic enim satisfaciendum etiam aliquantulo christianae dignitatis detrimento. Non censemus itaque, has leges pro tota Ecclesia qarogandas ob mutata adiuncta vitae socialis. Retineantur principia catholicae religioni inhaerentia, atque in casibus particularibus provideatur iuxta dictamina fidei et officia charitatis. Si omnino deesset lex prohibitiva, paulatim forsan christiani fidem propriam minoris aestimare minusque custodire inciperent. Neque circa communicationem catholicorum cum haereticis quidquam immutandum veniret in legibus Ecclesiae, ut patet. Istae enim mansuetudinem spirant, ut et doctrina morum ex illis eruta, qualem videre poteris in probatis magistris. Generatim autem constitui potest, haud esse vetitos illos communicationis actus, qui ex regionis moribus suspicionem non ingerant desertae fidei vel adhaesionis haereticae pravitati, neque perversionis periculum ferant. Tandem, quod attinet ad communicationem cum excommunicatis, tam sapienter conditae et benignitate temperatae videntur Ecclesiae leges, ut nil demere sicuti et nil addere opportunum quisque videre possit. Vulgatissima enim extravagans Martini V in synodo Constantiensi, quae statuit tolerandos omnes excommunicatos, cum iisque communicari posse, exceptis nominatim denunciatis et

vitandis, provida lex fuit et christianae charitatis sigillo notata, tantoque dignior admiratione praesertim quia ingruentes praecessit haereses saeculi XVI. Causae autem ob quas cum ipsis vitandis communicare liceat, satis probant, Ecclesiam ob oculos habuisse necessitudines naturae, officia humanitatis aliaque huiusmodi, dum tamen haec commercia coarctando intra necessitatis fines, sapientiam suam revelat zelumque in iustitia vindice exercenda et pericula fidei ab incautis amovendo. Stent itaque hae canonum leges rigorem cum clementia temperantes. Quod si earum deletionem invocent, qui nomine civilis progressus loqui fatentur, sufficiat meminisse, eosdem adiaphoros extare in conspectu omnium religionum, praesertim vero catholicae.

Qui, dum inter vivos agunt, ad invicem non communicant religiose, iidem quomodo post mortem simul communicaverint? Diversae proinde sedes eorum parandae corporibus. Nunquam certo iudaei vel infideles cuiusque generis ad sepulcra inhiabunt christiana eisdem cum illis fruituri. Ceterum iudaei, quia plerumque non singulariter sed gregarie loca incolunt, commun non carent subterranea sede. Non sic haeretici, qui saepe numero pauci incolunt catholicam regionem, vel quos saepe contingit casu interire in medio catholicae plebis. Iudaei ipsi non sinerent, eorum mortuos efferri in coemeteria christianorum, quamquam id permitterent patriae leges atheae. Ast non semel occurrit haereticos occumbere, qui tamen non habeant in loco depositionis specialia sepulturae septa. Atque tunc fit, ut parentes efflagitent, eos tumulari in catholico coe-

meterio. Horum votis quandoque favent leges civiles, quandoque etiam vires addunt inconditi clamores hominum, in quorum vexillis legere est litteris uncialibus scriptum: *Libertas conscientiae.* Quodnam vero libertatis vere aureum genus? Violatur sic libertas tot catholicorum, qui communem requietis locum cum gente divisa renuunt. Iniuria fit mortuis, quorum profanantur tumula; iniuria fit vivis, qui illic in societate acatholicorum manere cogentur, quando viam ingressi fuerint universae terrae. Quia tamen alicubi civiles leges iubent haereticos in coemeteriis catholicorum sepeliri, ubi acciderit illos fortuito decedere, quin eiusdem sectae homines ob exiguitatem numeri habeant locum requiei, tunc saltem ob oculos ponendae mordicusque servandae sequentes regulae. Prima autem haec est, ut quando unum tantum adsit coemeterium, defuncti heterodoxi tumulentur in loco distincto a catholicorum pacifica sede. Haec est benedictionibus ritualibus cumulata, et per murum interiectum, vel fossam vel sepem ab alio solo dividatur hominibus relicto a catholica communione alienis. Quid hoc est rationabilius? Quidve magis conforme mortuorum praesumptae voluntati? Hanc intimam rationem praeoccupavit s. Leo, dum regulam tradidit: Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus (1). Secunda regula tenenda haec est, ut scilicet accessus heterodoxis pateat per ianuam distinctam, neque liceat transitus funerei coetus haereticalis per campum benedictum catholicis

(1) Can., *De Commun.* i. XXIV, q. 2, c. 12, h. tit.

paratum. Quae dum innuimus, non diffitemur, id etiam praescriptum esse in Gallia, ut videre est artic. xv, tit. 4, decr. 28, Prair. an. 12 (1).

Ad materiam in hoc capite pertractatam referuntur postremae duae quaestiones ab Em. praefecto sacrae congregationis Concilii catholico Episcopatui propositae. Penultima haec est, seu num. XVI: quaenam mala proveniant ex domestico famulatu, quem familiis catholicis praestant personae vel sectis proscriptis, vel haeresi addictae, vel etiam non baptizatae: et quodnam hisce malis posset opportune remedium afferri? Momentosam hanc quaestionem intactam huc usque reliquimus. Diximus iam de infidelibus vel heterodoxis dominis, cui famulitium praebeatur vel ancilletur a catholicis; vidimus quae exoriri queant mala ex hoc statu ceteroquin indecoro catholicae religioni. In alia hypothesi ab Em. praefecto considerata non adest illa ordinis perturbatio, de qua superius, quum infidelis vel heterodoxus serviat catholico. Superiori aetate minus nocere poterat famulatus iste; quod fortasse in causa est, cur expresse non fuerit a ss. canonibus reprobatus. Hodie autem gravissima potest incommoda afferre. Ac primo si famulus proscriptae sectae politicae nomen dederit, poterit vel dominum vel eius filios illaqueare cum teterrimo eorum exitio. Hoc pacto famulus evadere posset carnifex dominorum. Quod si simpliciter vel infidelis fuerit, vel haereticus, tunc surgit periculum ne subornetur do-

(1) V. Dalloz, art. *Culte*, chap. 3, § 1, n. 750 e Goschler, *Dict. encycl. De Théol.*, art. *Cimetière* et *Sépulture*.

minus et a recta fide dimoveatur, vel saltem eiusdem familia et maxime filii, aut saltem in religiosam trahantur indifferentiam. Si vero filii vel filiae infideles, vel haeretici sub patria potestate adhuc constituti, vel in aetate adhuc minori ad baptisma, vel ad catholicam communionem perducantur, ut probabiliter contingere potest, gravia exorientur incommoda, obsistentibus legibus saeculi. Quae nimium patriae potestati tribuentes in iis etiam, quae a libera voluntate filiorum pendere unice debent, nullam habent rationem supremi iuris divini caelestis vocationis, nec non fidei et conscientiae hominis, qui capax est ratiocinandi et eligendi. Olim, guberniis religioni obsequentibus, non occurrebat ista libertatis violatio. Qui nempe baptismum susceperat, non reddebatur parentibus iudaeis. Modo autem adolescens e iudaismo translatus ad Ecclesiam, nolens etiam et coacte traditur parentibus iudaeis, qui iuvenem in fide firmatum pessime habebunt. Sub praetextu patriam tuendi potestatem, irriverentiae exponitur sacramentum Baptismi et simul Eucharistiae, et libertas conscientiae vulneratur crudelissime. Oh quoties libertatis fallaces apostolos in sermonis contradictione capere nullo potes negotio! Nolunt enim puerum rebus fidei imbui, nec de religione doceri priusquam ipse aetatem attingat, qua possit inter veritatem et errorem discernere et eligere symbolum fidei quod malit. Et tamen si adolescens iudaicae superstitioni praeponat catholicam veritatem, suam fidem et conscientiam cogitur subiicere parentis inflexibili obstinationi. Sicque dum hinc auctoritas quaquaversus convellitur ac veluti rebellio in ipsa familia

exsuscitatur, illinc paternae favetur tyrannidi in omnium momentosissimo negotio, religionis nempe. Quare in conspectu legislatorum, qui se identidem catholicos, et scriptorum qui se liberales iactant, cavendum quam maxime ut, domestico apostolatu, famulantibus adolescentibus infidelibus vel haereticis baptisma conferatur, vel abiurationis via monstretur. Nominibus enim Mortara et Coen Europam repleverunt eorum conscientiae tortores, in hoc intendentes, ut fidem ex eorum corde et usque sacramenti abraderent sigillum.

XVII autem ac postrema quaestio ita fuit proposita: Quidnam circa sacra coemeteria adnotandum sit: quinam hac de re abusus irrepserint et quomodo tolli possent? Iam memoravimus frequentiores legis ecclesiasticae hac de re infractiones et possibilia innuimus remedia. Non abs re erit autem nonnulla adiicere, quae nostra aetate committuntur specie quidem libertatis, at cum infanda religiosae libertatis iactura. Decedunt enim aliqui baptizati, nulli alligati religiosae sectae, sed tamen incredulitatis pice illiti, quam saepe et dictis et fortasse etiam scriptis prodiderunt. Mortui sunt ut vixerunt; consodalibus enim septi, sacerdotis faciem, morbo saeviente, non viderunt. Ad tumulum immo absque catholico ritu, coniuratorum sociorum comitatu, delati sunt. Quid autem contingit? In coemeterio catholicorum benedicto, instantibus sectariis, non obsistente lege civili, sepeliuntur. Ad haec vitanda tristia facta satius esset, ut area soli coemeterio destinata acquiratur, non quidem curionibus loci, qui nonnunquam iudaei vel acatholici erunt, sed potius catholicorum societati, qui con-

ditionem actui acquisitionis adiiciant excludendi a iure tumuli in eo loco benedicto non solum heterodoxos, sed omnes etiam, qui ultro dictis vel factis catholicae professioni renuntiaverint, neque vel retractationis votum ostenderint. Sed quia vix hoc contingere posset, et plerumque coemeteria pendent a decurionibus loci, parum sollicitis de legum ecclesiasticarum observantia, ideo aliae cautiones non erunt negligendae. Si itaque casu evenerit, ut in coemeterium catholicum, reluctante ecclesiastica auctoritate, inferatur cadaver heterodoxi vel excommunicati vitandi, vel eius qui catholicismum dictis, vel factis cum pertinacia eiuraverit atque voluntarie impoenitens decesserit; si insuper non permittantur moenia vel septa aut fossae divisionis, sed omnium religionum mortui indistincte tumulentur, tunc satius fuerit ut coemeterium non benedicatur, et quaque vice potius fiat benedictio loculi, qui pro catholico effossus sit. Quod si iam fuerit benedictum coemeterium et per illationem exuviarum hominis acatholici polluatur, quas inde auferri vel sequestrari non sinatur per supra dicta divisionis signa, tunc potius quam generalis reconciliatio polluti dormitorii perstante adhuc vel indiviso corpore acatholici, fiat benedictio singulis novis loculis, qui pro catholicis aperiantur. Ceterum in benedictione, quae fieret vel caeremonia reconciliationis generalis, semper intentio fertur excludendi ab effectu ritus sacri locum ubi acatholicus sit depositus, licet ab aliis nullo signaculo distinctum. Est autem quo mireris, tam flocci fieri locum, qui per antonomasiam dicitur ager sanctus, atque sub praetextu tuendae libertatis in eo,

qui se a catholicis vivus adhuc divulsit, sauciari hanc eamdem libertatem in tam multis, qui horrent quiescere cum notis perditionis filiis. Quum denique tam varient adiuncta catholicorum inter heterodoxos degentium vel ubi irreligionis serpit virus, vix regula generalis tradi potest, quae ubique prosit. Ex superius tamen dictis confici possent diversae normae opportunae plus minusve pro ratione conditionis in qua versetur catholicismus in variis mundi plagis. Atque haec innuisse sufficiat.

CAPUT XXX.

DE CULTU CATHOLICO, PRAECONIIS B. M. V. ET SANCTORUM.

Cultus catholicus sanctitate et venerabili maiestate excellit. Cavendum vero ne sanctitas profanis novitatibus laedatur, neve etiam maiestas adulteretur quibusdam additamentis, quae sapiunt mundanas oblectationes. Ad musicam praecipue refertur sermo noster. Quum christianus cultus in Dei laudibus offerendis eique grates rependendo pro acceptis donis etiam exerceatur, hinc cantus locum suum in eo obtineat necesse est. In veteri foedere psaltes et psaltriae Deo canebant atque ludebant dulcisonis instrumentis. Sufficiat memorasse Mariam Moysis sororem, levitas et Davidem regem (1). In Ecclesia christiana vero cantus gregorianus gravitate et

(1) De origine vicibusque musicae christianae videre poteris Jacqueré, art. *Musique* penes *Diction. Encyclop. de la théol. chrét.* tom. 15.

maiestate imaginem refert sanctitatis cultus eiusdem. At musica instrumenta necessaria habita deinde sunt ad cantus ecclesiastici augendam maiestatem; atque hac de re nullum opportunius inventum excogitari potuit, quam organum pneumaticum, quod veluti caetera instrumenta in se continet et virtute sua totam exibet cultus sacri dignitatem. Verum est quidem, in maximo templo catholici orbis solo cantu musicis instrumentis destituto Deum laudari, sed non ubique invenire est tantam cantorum vim, qui defectum instrumentorum abunde suppleant. Organum itaque provide in ecclesiis receptum est (1). Verum insequentibus annis musica instrumenta cuiusque generis ecclesias catholicas pervaserunt, maxime autem in Italia hac nostra. Et postquam a saeculo potissimum elapso, quo musica dramatum in theatris magnum coepit incrementum, haec eadem fere, ac vix mutatis mutandis, invecta fuit in domos Domini. Hinc multae ac iustae quidem lamentationes obortae sunt contra abusus musicae in templis. Hasce musicas profanitates in ecclesiis tempore divinorum officiorum iam stigmate notarunt ecclesiastici scriptores et ipsa concilia (2). Nunc etiam non pauci vocem attollunt contra inolitos gravissimos abusus. Qui possunt, mea quidem sententia, ad tres revocari. Primus est exuberans copia instrumentorum, quae in ecclesias introducuntur occasione quarumdam solemnitatum, adeo ut illarum symphoniae facile possint theatralibus orchestris aequi-

(1) De organo pneumatico dixi in alio scripto.
(2) V. praelaud. lexic. theolog.

parari. Hinc fit strepitus harmonicus qui mentis evagationem magis excitat quam devotionem. Alter, vere abominabilis, abusus in eo situs est, quod gravibus sensubus psalmorum et hymnorum Ecclesiae male accommodentur moduli et cantiunculae leves, quae profana dramata in mentem revocant audientium. Qui nedum ad conceptus assurgant Regii psaltis, ad ima descendunt dramatis vel musicae levissimae. Tertius et forsan principalis abusus est, quod nonnunquam dum sacra fiunt vel cantiunculae in orchestra aguntur, vel symphoniae instrumentorum, ut tibiae, chelyos, atque adeo in longum protrahuntur, ut actio sacrificii etiam post canonem ipsum suspensa videatur vereque sit. Hac ratione quod est principale, fit accessorium, et adstantium oculi ad orchestram potius, quam ad altare convertuntur. Inaniter autem decantabit sacerdos *Sursum corda*. Nam corda fidelium plerumque evolant ab una ad aliam amatoriam cantionem. Adsunt ergo abusus qui merito etiam ad Concilium sunt delati. Eos itaque Ecclesia emendabit. Quia tamen nova nunc elementa in musicam sacram subintroierunt, neque absolute fas erit ad antiqua redire absque mixtione novitatum additarum, a sapientia Ecclesiae ea est expectanda novi cum antiquo conciliatio, quae aedificationem, pariat absque admiratione atque contemptu. A cantu ecclesiae ea eliminabuntur probabiliter, quae sunt superflua, ut maxima instrumentorum copia, quae strepitum edunt magis, quam affectus pariant, sicque pariter ea delicatiora, quae a manu foeminea tanguntur. Dedecet enim etiam introducere in orchestram cum masculis et foeminas, quae vel elatiores

edant voces vel cytharae chordas leviore manu attingant. Sed Ecclesia a Spiritu S. edocta iudicet de ista sacrorum cantuum ratione. Ipsius est enim de hoc decernere, sive per Rom. Pontificem, sive per synodum oecumenicam. Nonnulli tamen, qui se praecones iactant vulgaris formulae: *Libera Chiesa in libero Stato*, relinquunt illi dogmata et mores, huic vero adiudicant disciplinam, fortasse etiam rationem cultus sacri, et caetera apta quidem ad arctandam Ecclesiae libertatem peius, quam sub pagano imperio. Caesares enim pagani, si Apostatam excipias, hypocrisi non laborabant.

Nunc vero ad sanctorum cultum transeat oratio mea. Non repugno, Ecclesiam sanctis viris, etiam a longissima aetate saeculo ereptis, super prolata sanctitatis documenta cultum decernere (1), atque etiam sanctis, iam rite recognitis, post dies multos augere cultum propter graves rationes noviter expositas. Haec veluti inconcussa principia praemittendi porrigit occasionem bina petitio quam Concilio Vaticano oblatam scio, ut nempe sanctorum doctorum catalogo accenseantur s. Franciscus Salesius et s. Alphonsus de Ligorio. Ili autem duo erunt ne digni tanto honore? Dicam breviter, quid sentiam de utroque. Prius tamen quam ego rem conficiam atque aperiam cum aliquo fundamento sententiam meam, iuverit nosse quibus ducta sit principiis Ecclesia in decernenda doctorum aureola. Hic autem praestat audire s. Pontificem Bonifacium VIII. Ipse enim, in cap. *Gloriosus de reliq. et*

(1) Hoc argum. iam delibavi in serm. de tribus martyribus Jap. soc. I. Vid. *Il predicatore catt.* fasc. 9, sett. 1863.

venerat. Sanctorum, post recensita nomina quatuor doctorum, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, quibus s. Pius V Thomam Aquinatem, Sixtus vero V Bonaventuram adiunxerunt, rationem tradit iudicandi, an quis dignus sit habendus doctorali laurea quae veneratur in aris. Eius itaque doctrinae adhaerebimus, atque videbimus, qua ratione possit duobus sanctis episcopis accommodari.

Tria dubio procul requiruntur ad constituendum Ecclesiae doctorem: eminens nempe doctrina, vitae sanctitas insignis, ac s. Pontificis vel legitimi Concilii generalis declaratio, docente Amato (1). Hic porro res erit apud Concilium oecumenicum; hic agitur de duobus viris sanctitatis prope singularis. Nam praeterquam quod de ambobus Ecclesia iam protulit solemne iudicium, s. Franciscus Salesius novam veluti exhibuit sanctitatis rationem, specie quidem vulgaris, re autem difficillimae, dum s. Alphonsus austeriorem se praebuit, uterque vero pro Christo innumeros atque athleticos labores exantlarunt. Uterque insuper veluti fundatores religiosae familiae in Ecclesiae decus et utilitatem habendi sunt. Sicque titulus sanctitatis utrique apostolico viro favet abunde. An idem affirmandum de scientia in Ecclesiae requisita doctoribus? Et hoc pronum est videre. S. Augustinus, doctor ipse maximus, catholicorum doctorum istam nobis reliquit effigiem (lib. 2 in Iul.): « Isti sunt, ait, episcopi et pastores docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui catholicam fidem in lacte suxerunt, in

(1) V. Bened. XIV *De canoniz. sanct.* lib. 4, p. 2, c. II.

cibo sumpserunt, cuius lac et cibum parvis magnisque ministraverunt. Talibus post apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. » Sunt itaque ex Augustino veritatis defensores acerrimi; sunt item fidei catholicae accurati expositores et apologetae. Sunt pariter sancti: in quam sanctitatis notam intuens Bellarminus eisdem opponit doctores ethnicos, seu poetas leves vel philosophos superbos, utrosque impurissimos, haeresiarchas et haereticos, pessimae frugis omnes (1). Neque ab eo recedit praelaudatus Bonifacius p. VIII, qui in cap. *Gloriosus* asseruit, in Ecclesiae doctore verificari, quod scilicet errores profligaverit, obscura et dubia explanaverit, et Scripturarum aenigmata reseraverit. Certe strenuus errorum profligator fuit Salesius, qui haereticos sui temporis nedum ore insectatus est, praedicationibus, colloquiis ac etiam privatis et publicis disputationibus, verum etiam, et praecipue scriptis, in quibus se intra tutos orthodoxiae limites cohibuit. Ita enim se gessit in *Vexillo Crucis*, in pluribus collationibus et sermonibus, sicque deinceps. Praeterea vitae christianae secreta pervasit ac revelavit; in *Philothea* eandem omnibus, in saeculo etiam obviam et accessibilem demonstrat, ibidem veluti relinquens speculum suae vitae et virtutis apprime suavis et amabilis, dum in tractatu *Amoris divini* intimiora arcana penetravit vitae interioris et mysticae. Veritates maximi momenti tuitus est, inter caeteras vero auctoritatem s. Pontificis, quem *infallibilem* expressis verbis

(1) Bellarm. *De notis eccles.* lib. 4, cap. 13.

declaravit, ut liquet ex celebri codice Chisiano, ad quem etiam scriptores elapsi saeculi provocabant (1). Quanta vero in explanandis ss. Scripturis peritia calleret vel ex eo apparet, quod scripserat B. Petro Canisio, cui tamen in quaestionibus biblicis magis arduis se commendabat (2). In epistolis vero quot dubia vitae spiritualis disiecit sapienter! Atque haec etiam doctrina non exigui est pretii et summo honore habenda. Quot enim Ecclesiae Patres in epistolis excelluerunt, atque in iis quaestiones vel scientiae vel pietatis mirabiliter solverunt, ut Augustinus, Hieronymus, Bernardus, et caeteri! In controversiis praecipue sanctus episcopus se divinarum scripturarum satis peritum ostendit, quamvis linguam hebraicam, quam Patavii, ut puto, didicit vel Parisiis, duce Genebrardo, serius sit aliquantulum oblitus, ut probat laudata eius epistola ad B. P. Canisium. Plures ibidem detegit protestantium errores in commentariis, versionibus et canone Scripturarum. Mitto, eum plura fidei dogmata in eo libro vindicare, atque ubertim etiam s. Pontificis auctoritatem. In eruendo autem Scripturarum sensu mystico eoque accommodando argumentis pietatis, qualem se praecipue ostendit in Theotimo, seu tractatu divini amoris, tantum valuit, ut cum probatioribus sit comparandus. Non unus autem ex Patribus, qui de divinis scripturis egerunt, sensum mysticum

(1) Sic quoque in aliquo ex discursibus controversiarum collegit ex Patribus praeconia tributa R. pontifici, quae etiam ex eodem refert De-Maistre, *Du pape.*

(2) Extat in libro: *Nouvelles lettres inédites de s. François de Sales*, tom. 1. Opera vero sancti pervolutavi in editione *Hauteville* n 4 tomos, Parisiis 1836.

potissimum sunt insectati, speciatim vero qui medio aevo floruerunt; quae partialis Bibliorum interpretatio non obstitit quominus doctorum lauream consequerentur. Quam et Francisco, haereticorum sui temporis malleo, nec non Bellarmini, quem secum gestabat in apostolicis peregrinationibus, digno pedissequo, adiudicare videtur aequum. Quod maxime credideris postquam doctus et pius Pontifex Alexander VII illius doctrinam *totam auream* vocavit *totamque salutarem* (1). Neque difficultatem facessit lingua, qua sua exaravit scripta, et quod nemo adhuc sit doctoribus Ecclesiae annumeratus, qui sermonibus vulgaribus scripta sua pro religione christiana digesserit. Perpende autem, post Bonaventuram a Sixto V promotum, alium neminem fuisse ad tantum honorem evectum. Qui vero sancti viri post Tridentinum ita scripserunt quacumque lingua, cur doctoribus, si tamen polleant dotibus supra descriptis, non aggregabuntur? Sicut enim dicitur, omnem spiritum laudare Deum, ita et dici potest omnem linguam confiteri Domino. Quid? Anne omnes Patres antiqui latine aut graece scripserunt? Scimus, s. Ephrem sua lingua, syriaca nempe, aureos libros exarasse. Numquid propter hoc minoris aestimatur? S. Franciscus lingua gallica vetusta, pro aetatis suae ratione, libros digessit. Verum hoc non obstitit eorum evulgationi. Docti libentius eos legunt, prout extant originaliter in vetere sermone et orthographia, ex quibus exurgit quaedam simplicitas et casta ingenuitas admirandae, dum vulgares eosdem

(1) Ex Brevi Apostolico ad comitem Franciscum Salesium.

legere possunt in modernum sermonem traductos, quod factum est praesertim in Philothea (1). Satis est tamen de s. episcopo sabaudo.

De sancto Alphonso de Ligorio eamdem emittimus conclusionem. Quis enim ignorat sanctitatem eius vitae virtutibus et miraculis refertam? Quis non cogitet, eum novum religiosum ordinem sancte militantem in diversis orbis catholici plagis instituisse? Plura demum et varia eius scripta, in queis nil censura dignum repertum est a s. Sede, quae eumdem transtulit ad aras. Morum praecepta tradidit atque eorum applicationem ad casus concretos, in quo momentoso opere se gessit ita, ut eius doctrina moralis veluti media laxiorem inter et rigidiorem universim fuerit accepta. Varia enim ethicae christianae compendia, quibus inclaruerunt nomina eminentissimi Gousseti, Scavini nostratis, Gury, Ballerini et aliorum, passim pervolutantur in scholis catholicis. Sanctus episcopus morali suo operi adnexuit praeclaram dissertationem apologeticam de vetita pravorum librorum lectione, contra grassantes errores maxime opportunam. Confutavit insuper omnes haereses, quarum dedit historiam; confutavit maxime saeculi elapsi errata, ut atheorum et materialistarum inventa in scripto quod nominavit a fidei veritatibus. Opportunissima etiam operis Febroniani, quam dedit, confutatio; atque laetandum est, plures ortas esse sub italico coelo. De operibus autem eius spiritualibus melle dulcioribus quid dicam? Comparandus merito in hisce cum Salesio, fortasse etiam cum Bernardo. Partim latine, partim

(1) Sic Philotheam ad linguam modernam transtulit P. Brignon S. I.

italico sermone scripsit. Summopere vero gaudendum, ut lingua nostra, latinae primogenita filia, honorem sortiatur lauream parandi catholico doctori. Fiat iuxta petita; nos enim nil tantae exaltationi viri meritissimi opponi iudicamus.

Quod si optandum, ut nonnulli fideles servi Dei maiore honore secundum merita cumulentur, quanto magis idipsum B. M. semper Virgini esset referendum? Sed quodnam novum praeconium erit excogitandum, praeter illa iam numero et amplitudine insignia, quae eidem in Litaniis tribuuntur? Verum glorificatio M. V. in terris, ut videtur, etiam nova percipere poterit ornamenta. Quam Pius IX salutavit sine labe originali conceptam, astantibus ac probantibus tot catholici orbis episcopis, eadem cur non dicatur anima et corpore ad coelos assumpta? Veritas haec est tutissima, at nondum dogmatica; strictam immo habet cum immaculata conceptione connexionem. Praeterea definitio huiusce corporalis assumptionis est in votis plurium optantium Deiparae laudum incrementum. Nos ipsi, non certe momentosi homines, hoc expressimus desiderium; post nos autem multi alii, sed doctrina et auctoritate spectabiliores quam nos (1). Iam immaculata conceptio Deiparae eiusque assumptio in coelum solemnibus magnis efferuntur, primus et postremus an-

(1) Haec verba protulimus sex retro annis: « E chi sa che non » sia serbato a'nipoti nostri il grandioso spettacolo della convo- » cazione di tutto l'episcopato cattolico nella città de'papi per » ivi porre anche una seconda corona in capo alla Vergine? » Vedi Gatti, *La Vergine Maria* Ragion. XV, Torino 1864. Alii postea libros ediderunt hac de re. V. Inter caeteros Cerri, *Assunzione corporea della Madre di Dio al cielo*, vol. 2, Torino 1866.

nulus, qui aperiunt et claudunt illius vitam supernaturalem. Sunt duo extremi flores coronae virginalis, qui se complent et tangunt. Haec duo privilegia sunt aeque certa. Cur ad rationem dogmatis non evehitur etiam secundum ad instar primi? Plaudemus Concilio, si istud dogmatis pronuntiaverit: sin minus, et obsequenter recipiemus illius silentium. Loquatur vel sileat, aeque erimus obedientes et contenti.

Gaudendum est etiam, magnum excipere incrementum in Ecclesia cultum patriarchae s. Iosepho praestitum. Pluribus enim in locis in eius honorem piis exercitiis sanctificatur mensis Martius, eduntur scripta periodica, libri, nec non historiae ex evangeliis atque christiana traditione depromptae; atque postremis hisce annis magis agnoscitur efficacia devotionis in s. Patriarcham, qui opportune invocatur tamquam caput sacrae Familiae, ut protegat numine suo Ecclesiam, quae sacram familiam continuat in terra exilii. Iam variae postulationes perlatae sunt ad Concilium, in quibus nova praeconia petuntur pro s. Iosepho novaque additamenta in publicis precibus, queis melius agnoscatur et celebretur illius perpetua dignitas in domo seu populo Dei. Atque sperare libet, futurum, ut Concilium Vaticanum prosit valide ad augendum s. Iosephi cultum, sicuti olim, instante Gersonio, profuit Constantiense. Re enim vera sicuti in orbe christiano non parum deferbuit pietas fidelium, ita opportunum est, ut reviviscat praecipue per enixiorem cultum immaculatae M. Virgini et dignissimo eiusdem sponso (1).

(1) Dum haec scribebamus, prodiit SS. D. Pii IX, quem Deus

CAPUT XXXI.

DE SPONSALIBUS.

De more hic tractationem non exhibemus ad instar theologorum vel canonistarum, sed nonnulla tantum delibamus atque ob oculos ponimus, quae fortasse Concilium perpendenda suscipiet. Iam de opportunitate disseruimus intra arctiores limites constringendi ecclesiastici processus formam, ne per longiores lites depauperentur christianae familiae, odia disseminentur, plerumque tantum duratura saltem quantum illae ipsae. Lamentabile profecto in christiana societate hoc malum est: sed quis crediderit, illud semper evitari posse? Non enim contendentes semper erunt parati Abrahamiticam illam formulam usurpare: *Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo*, etc. (Gen. XIII), seque proinde ad invicem separare. Litibus iccirco providetur, ut fiat ius absque personarum acceptatione. Verum ut moralis certitudo obtineatur de iure suo cuique tribuendo, certum tempus, modusque requiritur, ut veritas et in iure et in facto comperiatur. Hinc aliquantulum immorandum in litibus expediendis. Haec tamen mora, quantum fieri potest, abrumpatur necesse est, iuxta mentem canonum quos iam protulimus. Plerumque longa litium prolatio gravia parit damna; at gravissima

diu sospitet, decretum, in quo s. Iosepho titulus tribuitur *Protectoris universalis Ecclesiae*. Prodiit die 8 decem. 1870.

ex hac cunctatione prodeunt, si de sponsalibus agatur. Quis enim nesciat, longam diem vehementiores etiam affectus refrigerare, immo prorsus extinguere? Quis nesciat, illam magis puellis officere, quibus formositas veluti flos evanescit? Hinc misella desponsata si fidem praebitam acceptamque nequeat matrimonio complere, vix alium thalamum poterit subinde inire. Sed adsunt peiora magisque lugenda. Apud gentes non paucas, christiano, forte etiam catholico, nomine donatas, in leges transiit, plusquam in mores, monstrum illud horrendum immane, ingens, cui lumen fidei ademptum est, quod aiunt civile matrimonium. Quod quantopere fidei dictamini repugnet et rectae rationi, sitque proinde ab omni societate civili repellendum, iam evicimus, priores in tempore, memoria ut nostra est, merito autem omnium postremi; neque semel tantum in hoc argumento perstitimus (1). Morbus tamen hic Europam pervasit ita, ut apud Gallos, Belgas, in Austria, in Italia ipsa fere tota iam saeviat, ut mittam regiones illas in quibus heterodoxi vel primas sedes obtinent vel in maiori numero existunt. Si adsit commodum ineundi matrimonium coram civili potestate, haud mirarer, sponsum priorum sponsalium iure vel iniuria pertaesum eaque implere renuentem, longaque defatigatum mora iudicii, ad alia vota transire sub

(1) Nempe anno 1851 edidi dissertatiunculas octo: *Il matrimonio civile in Italia* ecc. Anno vero 1865 typis vulgavi alium opusculum: *Esame critico della relazione del senatore Vigliani sul matrimonio civile*. Haec duo opuscula duobus voluminibus impressa sunt tertio in collectione bonorum librorum, quae Taurini edebatur. Vulgatissima deinde scripta Rosminii, La Motta, Della Torre, La Civiltà Cattolica, Perrone de hac re matrimoniali.

tutela civilium legum contendere. Hinc innumera mala, animarum pernicies, sobolis neglecta educatio et a pravis parentum exemplis corrupta, aliaque damna, quibus quam sit arduum occurrere, novit pia et catholica societas in Gallia a sancto Francisco Xaverio nuncupata. A Concilio autem Vaticano si quod expectaveris remedium, non falleris. Quomodonam vero?

Praecavendo ante omnia ne citius, quam par sit, sponsalium vis agnoscatur. Non dixerim autem, satius esse ut sponsalia robur accipiant a scriptura. Haec enim iure naturae non requiritur, cui praecipue solet inhaerere canonicum, parcum admodum in solemnitatibus actuum, nisi quae religionem directe respiciant. Haud renuo tamen, in hac forma nonnihil utilitatis inesse, tum quia sponsalia scripto tradenda magis tempus suppeditant cogitandi quod fit, minusque locum relinquunt pactionibus praecipitanter atque inconsiderate initis, quas poenitentia subsequitur; tum etiam quia sponsalia ecclesiastica hac ratione convenirent cum civilibus, queis solemnitas scripturae plerumque adiungitur, ut videre est in codice Caroli Alberti, in nuperrimo Victorii Emmanuelis, in Helvetico comitatus Valdensis. Optime se gerunt indubitanter christiani legumlatores, se se legibus Ecclesiae accommodando: hocque est eorum munus praecipuum; non enim abstrahere rationabiliter possunt a religiosa conditione subditorum. Contra vero illos iniuria afficiunt quotquot eorum fidei, morum, obligationum nullam habent rationem. Videmus non sine praegrandi animi satisfactione, catholicos legumlatores temporibus elapsis hasce conditiones magni fecisse. Sic, ut tot alios

mittam, Luitprandus Langobardorum rex totus in eo erat ut legibus nuptialibus Ecclesiae obsecundaret. Sed de hoc rursus. Memorabo potius Carolum Albertum, qui vim agnoscebat legum canonicarum in re matrimoniali expressis verbis, dum rex utriusque Siciliae declarabat (art. 150), nuptiales leges civiles vim non obtinere, praeter civiles et politicos effectus. Tanto vero magis abstinent ab iis, quae cum iure canonum absolute pugnant. Qui diceret, Ecclesiam debere se in legibus nuptialibus condendis accommodare civili codici, ne molestum gignat antagonismum non servando distinctionem inter leges rectas vel saltem indifferentes et iniquas, procul dubio blasphemaret. Atque etiam qui affirmaret, Ecclesiam saltem innocuis legibus civilibus se se debere aptare, minus exacte loqueretur. Non enim Ecclesia imperio, verum hoc illi morem deberet gerere, velut pedissequum. Ceterum si Ecclesia non praescripserit scripturae formam pro validitate sponsalium, magis obsecundandum duxit iuri naturae, quod rationem habet veri consensus, quomodolibet explicetur et probetur; eodemque tempore magis favit naturali hominum libertati.

Ut vero quadantenus obviam eatur huic antagonismo, quod guberniis tantum, non autem Ecclesiae foret imputandum, nonnulla proponere ausim, quae mihi haud omnino videntur contemnenda. Respicio itaque sponsalia, prout in se existunt ac prout in iudicio sunt probanda. Antequam vero quaestionem adgrediar, quae aliquantulum intricata videri potest, non abs re erit aliqua praemittere. Qui puellam, vi physica vel morali usus, vitiaverit, is dubio procul eamdem ducere debet vel do-

tare. Agitur itaque de obligatione disiunctiva ad nutum nempe defloratoris, qui consentientem ducere tenebitur, si eidem alia ratione satisfacere non valeat. Hancque obligationem putaverim mere disiunctivam etiam in conspectu Exodi XXII, 16, et iuris canonici. Licet enim primus ille innuere videatur vinculum coniunctivum; animadvertas tamen velim, ibi non agi de obligatione a iure naturae rigorose imposita, sed quae opportunior visa fuerit pro populo iudaico. Ceterum deflorator si renueret ducere corruptam, se se ab hac obligatione redimebat solvendo determinatam multam, ut refert Flavius Iosephus penes Calmetum (1). Neque etiam coniunctim haec onera imposita esse a iure canonico, testantur docti interpretes. Invaluit ita penes illos sententia de obligatione disiunctiva, quae pariter obtinuit apud rerum criminalium tractatores, quorum aliquos afferimus inter vulgatiores (2). Quae autem foeminae vitiatae honestas requiratur, cuiusque generis vis eidem illata, copiose docent allati scriptores aliique. Nostra parum interest huiusce negotii; properamus potius ad alium quaestionis respectum.

Saepe enim deflorationi connectitur matrimonii promissio. Tunc autem an reus utraque obligatione gravabitur? Sunt qui aiunt ex utriusque iuris interpretibus. Nobis autem videtur, praehabitis distinctionibus, expiscanda veritas. Ac primo si praecesserit matrimonii promissio ac per se steterit, subsequenter vero atque ex post facto corruptio

(1) In Exod. XXII, 16.

(2) V. Matthaei *De crimin.* lib. 48 Digesti; tit. 3 de poena adult.; Carpzovii *Pract. nova rer. crimin.* pars. 2ª q. 68. De stupri crimin.; De Angelis, *De delictis*, pars 1ª, cap. 125.

puellae contigerit, tunc confirmatur atque magis constringitur obligatio naturalis nubendi, iam orta ex praehabita promissione. Ab hac profecto recedere nefas, nisi graves sufficientesque causae supervenerint rescissionis, vel antiquae aeque graves eaeque incognitae, quodque peius, malitiose occultatae, fuerint detectae. Res vero se aliter habebit, si defloratio sit causa finalis, quae intenditur, promissio autem non sit nisi illicium ad facilius et citius obtinendam momentaneam delectationem. Quid est, quod in casu primitus, immo unice spectatur? Virginis vel viduae honestae corruptio. Promissio vero in tantum adhibetur, in quantum prodest ad cupiditatem explendam. Ad hoc autem seductor opus non habet nisi ficta et fallaci pollicitatione. Adest itaque praesumptio, mendacem esse promissionem. Si enim sincere voluntas adfuisset contrahendi sponsalia, non illico et in antecessum cogitatum fuisset de corrumpenda puella mox obtinenda. Id genus itaque promissorum suspicionem ingerit fictionis. Suspicio vere in certitudinem transit, si deflorata longe humilioris sit conditionis, quam deflorator ipse. Tunc enim puella non credat promissioni tamquam fictae. Potest quidem nobilis et dives adamare puellam omnino vulgarem, eamque in uxorem optare. Sed tunc non inciperet matrimoniales tractatus ab actu libidinoso. Haec autem doctrina tam obvia est, ut passim a doctoribus frugi sit accepta (1). Quod si ratio habeatur pro-

(1) V. Monacelli *Formul. leg. pract. fori eccl.*, tit. 8, qui plures producit pro hac thesi auctores; Pitonii, *Discept. eccl.* D. LII. Hoc in casu neque admittendum iuramentum probationis; Mascardi *De probat.* concl. 1035, N. 9.

missionum matrimonialium, quae viam pandunt deflorationi, innumeris abusibus porta pateret. Matres ipsae, ut thalamum optatum sternant filiabus, easdem ducerent, foedo lenocinio usae, ad iuveniles amplexus. Quem abusum iam advertit notavitque p. Daniel Concina. Cui subscribunt C. Gousset aliique, peroptantes ut ad abusus eliminandos nulla habeatur in Curiis episcopalibus ratio promissionum huiusce generis. Referam hic verba editoris et ampliatoris theologiae moralis a Scavinio exaratae. « Ceterum, inquit ipse, valde utile foret ad huiusmodi flagitia vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, etiam iuramento firmatae, invalidae declarentur ab episcopis; si enim hoc scirent puellae, non facile seductioni cederent (1) ». Verum et aliud seria consideratione dignum. Si enim, quod interdum contingit, hisce promissionibus tribuatur a iudice ecclesiastico valor, iuveni ad alias nuptias convolanti litem intentaret puella vitiata sub spe matrimonii: quo fieret ut iuvenis, longioris ecclesiastici processus pertaesus, civile matrimonium cum magis dilecta magisve divite inire properaret. Et saepe parentes, ne praetereat occasio coniugii satis boni, annuunt hisce sacrilegiis cum spe in posterum adeundi Ecclesiam. Incubo matrimonii civilis adstat plerumque. Quando itaque exigitur copula vel quasi conditio sponsalium, vel haec obtrudantur veluti pretium illius, quae in desiderio est atque in spe, tunc non agitur de promissis seriis. Patet enim,

(1) V. Concina lib. 2. *De matrim.* dissert. 2. de spons.; Gousset *Manuale comp.* ed. mediol. t. 1, p. 504; Wagemann *Synops. Theol. mor.* l. 3 tit. 3, c. I, Scavini, tom. 2, p. 507, nota n. 2, ed. 10.

id quod iuvenili phantasiae immediate obiicitur atque intenditur, esse praesentem carnis satisfactionem, non vero futuras nuptias, quae probabiliter ne vix quidem placent minusve conveniunt. Qui vere vult nubere, quum sciat se brevi voti sui futurum compotem, plerumque refraenat praematuros impetus, nec quaerit taminare quod sincere amat. Optandum summopere, ne tribunalia personent pudendis hisce clamoribus. Quando vero putidis hisce fictionibus aures non praebeantur a iudice, tunc puellae et matres sibi cavebunt. Verum ponamus etiam, sponsalia non laborare vitio hactenus reprobato, expedit tamen semper, ut eorum causae citius dirimantur ob rationes superius memoratas. Secus e mora non leve periculum enascitur. Quibus autem in casibus accelerare oporteat ecclesiasticos processus et quomodo haec acceleratio conciliari queat cum essentia ipsius formae iudicialis, iam satis superque dictum est.

Sponsalium certe ab ecclesiastico superiore urgendum est implementum: idque praesertim duabus de causis, primum ob reverentiam debitam sanctitati promissionis, dein ad mala praecavenda, quae praesertim sponsae ob non impleta sponsalia obvenirent. Summopere vero urgenda fidei datae observantia, si antea vel post sponsalia ipsa secuta sit copula et, quod peius est, scandala sint oborta aut oboriri queant, quod sponsa vel iam pepererit, uterumve gerat. Scio equidem, etiam civiles leges providere prolis sustentationi damnisque sponsae obvenientibus ob non secuta sponsalia. Verum haec damnorum refectio plerumque imperfecta est, ac solo matrimonio perficitur. Haec quidem prae oculis habenda ut curetur sponsalium

executio. Verum praecaveatur malum teterrimum sub praetextu promovendi boni. Matrimonii libertas est summopere curanda. Ea dempta, nil agitur, immo peius quam nihil. Temperet itaque ecclesiasticus iudex a comminatione, multoque magis ab irrogatione poenae spiritualis. Eam quidem merentur violatores praebitae fidei matrimonialis: sed ob funestum exitum coniugiorum coactorum in desuctudinem abiit id genus coërcitio. Poena igitur eliminetur sive terrefaciat hominem, sive quod peius, aspernetur ab eo. Primo casu posset infelicia vota parere; altero vero in coenum proiiceretur spiritualis gladius. Utrumne sufficiens coërcitio non esset, si immerito recedens a fide tradita a novis votis arceatur? Verum obfirmatus in suo renuendi systemate an ne in perpetuum erit a novo coniugio cum tanta forsan iactura animae suae repellendus? Si spes omnino sit defutura primi promissi matrimonii, vel si ad istud nihil sint valiturae suasiones, hortationesque virorum frugi, dimittatur, dummodo damna sarciat, si quae tulerit, quaeque nubendo non refecerit. Mihi enim haud arridet systema perpetuandi ligamen sponsalium, quorum evaserit impossibilis vel male ominosa impletio per coniugium. Placet potius haec regula: *Mezzi da usare rimangono dopo gli eccitamenti e le riprensioni il divieto di altre nozze, almeno fino a tanto che non sia tolta la speranza del ritorno alla prima fede; e poi all'ultimo il compenso per la recata ingiuria.* Hisce verbis antecessoris patavini libenter subscribo (1). Si concluderentur

(1) Pertile, *Corso elem. di giurispr. eccl.* tom. 3, Padova 1862.

haec infausti ominis matrimonia, postridie nuptialis diei ecclesiasticum tribunal clamoribus personaret, et divortium quoad habitationem et thorum foret, vix inito nuptiali pacto, concedendum. Operae itaque pretium est, ut populus discat, impune non posse fieri promissa dolosa, neque propriae vel pravitati vel levitati litandam esse pacem animae, saepe etiam famam futuramque sortem, alienam et maxime nimis credulae puellae (1). Verum nonne valde intererit connubia impediri, e quibus nihil boni speretur omnino? (2).

Vel in ipsis sponsalibus antagonismus explicatur inter leges ecclesiasticas et civiles plerarumque ditionum. Sat est iure naturae, ut mutua nubendi promissio quoquomodo exterius manifestetur nempe voce, scripto, aliisve externis signis, quibus pandatur intentio mente retenta, quo fit ut sponsalibus ineundis fiant impares quotquot sensibus carent necessariis ad talia signa vel exhibenda, vel etiam percipienda. Dummodo sufficienter haec manifestatio exterior et mutuo innotescat, effectum sortitur iure naturae. Cui inhaerendo canonica lex, illam tamquam validam recipit in foro interno, atque etiam in externo, cum tamen satis probari possit factum promissionis et repromissionis. Non enim est sinendum absque effectu transire talia acta, quae omnes praeseferunt conditiones iure naturae requisitas. Ecclesia autem num poterit naturalis legis aspernari dictamina?

(1) Perezii, in cod. lib. V, tit. 1.
(2) V. etiam Schulte, *Illustr. della legge sul matrim. cattolico nell' imp. d' Austria.*

Favent etiam Romanae leges, iuxta quas sponsalia et caeteri contractus consensu ineuntur quomodolibet expresso, sive verbis, sive nutu aut aliis indiciis (1). Recentiores vero leges ex eo maxime quod sponsalia effectus pariant ordinis mere civilis, ut obligatio damna reficiendi parti iniuste derelictae et laesae, quamdam constituerunt formam, nempe publicae scripturae, qua deficiente nulla ratio habetur civilium effectuum. Quod videtur inducere quamdam contradictionem inter leges poli, nempe Ecclesiae, et fori, scilicet imperii. Profecto si imperia vere essent christiana, agnoscerent ad Ecclesiam pertinere de sponsaliis decernere, utpote quae prodromus essent matrimonii quod est novae legis sacramentum. Hinc semel ac iudices ecclesiastici declaraverint sponsalia extare, laici eidem declarationi innixi statuerent, an et qua mensura sit damnum reficiendum. Secus vero, aliam formam sponsalium praestituente civili lege, tribunalia civilia factum iuris naturalis et ecclesiastici non agnoscerent, nullamque damnorum refectionem neque decernerent, neque curarent. Verum est quidem, Ecclesiam absolute non destitui omni coërcitionis medio adversus violatorem fidei promissae a iure naturae et ecclesiastico recognitae, dum eidem non permitteret alia vota, donec priora sponsalia fuerint rescissa mutuo partium consensu factaque compositione. Sed quid si sponsalium desertor perseveret innuptus persistere aliaque vota non appetat? Quae media suppetunt ecclesiasticae curiae succurrendi puellae iniuste derelictae? Haec in

(1) Rauscher, *il Matrimonio e il c. 2° del Codice civile.*

cassum poterit expectare ut reficiatur in damnis quae passa est, dum interim labitur cum iuventa venustas, et pertranseunt appetentes manum eius. Quod si sponsalium infractor aliam inhiet puellam atque a iudice ecclesiastico prohibeatur a novo vinculo, non resoluto priore, tunc verendum, ne aliam conetur ingredi viam, illam nempe quae ad matrimonii civilis voraginem, seu ad mortem ducit. En quae mala ex collisione legum civilium cum ecclesiasticis oriantur. Verumtamen hic cubat solummodo initium dolorum, ut mox videbimus.

CAPUT XXXII.

DE MATRIMONIO LEGUMQUE CONFLICTU.

Longe peius in matrimonium gladium suum exeruerunt laicae potestates. Illud enim respexerunt veluti contractum, proindeque ut tale civili auctoritati quaquaversus subiectum. Ratio sacramenti, contractui superimpositi, parvi aestimatur. Ecclesiae enim relinquendum iudicatur illud unum, quod ad ritum religiosum refertur. Hoc autem veluti purum accidens atque superfoetatio habetur. Erroneum humanae sapientiae inventum! Matrimonium enim est iuris naturae, atque ordinatum ab eo, qui hominem creavit masculum et feminam. Postquam vero ob scelus antiquum in peius ruit humana societas, ille ipse, qui instauravit universa, matrimonium evexit ad sacramenti dignitatem. Factum itaque est res omnino sacra, religiosae potestati omni-

modo subiecta, christianum coniugium. Pro fidelibus itaque nullum aliud reperire est coniugium praeter istud. Qualitas sacramentalis inscindibilis est a conventione ordinis naturalis. Quid? Divinus societatis auctor numquid potestate carebat coniugium reformandi, illudque ad sacramentum novae legis transvehendi? Ita autem constitutum quoad fideles, non potest mutari, non dividi, non ad pristinam reduci ethnicam conditionem. Legumlatores vero, qui in matrimonio fere nihil plus videntes, quam contractum naturalem, decernere praesumunt quae illius validitatem attingunt, ii hercle societatem christianam ad paganismum reducere satagunt. Aiunt, contractus naturalis rationem non perimi ab assumpta dignitate sacramenti, illamque laicae potestati subesse. Sed Christus, qui elementum illud naturale assumpsit transtulitque ad esse sacrum, suberit civilibus legumlatoribus quoad essentialia eiusdem rei? Nil igitur sibi adsumere possunt in subiecta materia, nisi ut normas exhibeant pro civilibus effectibus emergentibus ex matrimonio ab Ecclesia agnito. Non omnibus autem praecisa videbitur notio matrimonii, quae ex contractu sumitur. Non contractus est, inquit eminent. Rauscher, sed societas, quae concluditur per contractum, quia prima sua essentia constituitur ab hac conditione, quod nempe duo ad id capaces declarent reciproce voluntatem vivendi more coniugali. Ex hac relatione ius communionis corporis, cuius moralis possibilitas non pendet a lege civitatis, ea statuit officia iuraque ad illorum implementum, quorum officiorum essentia nulli subiacet vi. Non autem indifferens est matrimonio omne illud, super quod

ea quidpiam possit. Unus alteri inest, sicut spiritus corpori, per quod ille inter ponderabilia ingreditur. In omni societate iure civitatis composita statuit matrimonium iura conditionis et bonorum, quorum convalidatio pendet a lege, quae superiori ordini dominatur, vel a consuetudine quae vim obtinuit legis. Quoad iura emergentia ab officio mutui adiutorii, potest vis externa praebere subsidium. Sed qui eam adhibet, aliam sequi debet normam, quam propriam suam momentaneam opinionem, quae norma a capite civilis societatis solummodo potest venire. En iura civilia matrimonii; momentosa itaque positio, quae eidem in societate a lege fit. Sed spiritus in eo cogi non potest, sine quo illud corpori exanimi fit simile. Auxilium, quod a iudicibus ministrisque iustitiae hauriri potest, versatur tantum inter fragmina violatorum officiorum coniugalium, atque inter haec septa constringitur ius civitatis (1).

Matrimonium ad sacramenti dignitatem a I. C. evectum in potestatem venit Ecclesiae sponsae illius dilectissimae. Quae iccirco studiosissima sanctitatis eius et dignitatis illud ipsum purgare sategit ab impuris aliisque absonis elementis, quibus tum apud gentes, tum apud iudaeos ipsos fuit taminatum. Hinc romani Pontifices non solum benedictionem sacerdotalem praescripserunt ut matrimonium separarent ab actibus vitae communis; verum etiam abusus profligarunt seu ethnicos, seu paganos, qui invaluerant. Sic, ut ceteros mittam, papa Callistus, ut matrimonia removeret romana-

(1) Rauscher, *Il matrim. e il 2° capo del cod. civ.*

rum matronarum cum ethnicis senatoribus, illis permisit potius connubia, a civili lege non agnita, cum servo vel liberto, quos vere maritos habuit coram Ecclesia et conscientia. En solemne monumentum matrimonii christiani habiti ut validi, licet obsistente civili iure. En perfecta aequalitas in societatem inducta a lege Christi. Nulla proinde in epitaphiis amplius occurrit mentio conditionis servilis vel libertinae (1). Huic igitur sancto Pontifici laus esto, qui Ecclesiae autonomiam in iure matrimoniali, libertatem christianae conscientiae, aequalitatem omnium coram Deo patre universae familiae christianae solemniter annuntiavit. Post tuta vestigia romanorum Pontificum plerumque ambulaverunt principes christiani, qui leges ad evangelii amussim magis quam iuxta gentium mores tulerunt (2). Paradigmatis loco exhibebo regem Luitprandum, licet non omnino in sua agendi ratione cum sede apostolica irreprehensibilem. Ille enim, ut alii Langobardici reges, sanctae Sedis inhians patrimonium, hoc ipsum partim sacrilege usurpavit, partim absorbere molitus est. Poenituit eum malefacti, atque poenitentiam cumulavit cum restitutione, sine qua non remittitur peccatum. Plura insuper dona expiationis ergo contulit Ecclesiae, inter quae eminet basilica ab eo erecta, cui a multis iam annis inservio, atque hoc canonicale collegium ab eodem institutum. Verum, quo propius veniamus ad rem, in

(1) Derossi, *Bollettino d'archeol. crist.*, marzo e aprile 1866.

(2) Hoc fecit et Iustinianus, licet non in omnibus probandus. V. Perezii, in cod. lib. 5, tit. 1 et 4.

iurisprudentia matrimoniali Luitprandus quantum distet ab illis legumlatoribus antiquis et recentibus, qui veri spcie ducti sub praetextu civilis progressus ad putidum paganismum regressi sunt! Re enim vera totus ille fuit in eo, ut nuptias contra sacros canones fieri vetaret. Sic ducere vetuit puellam sacro coopertam velamine, vel Dei famulatu licet sine solemni consecratione, mancipatam, et ducere viduam proprii patruelis, vel commatrem sub poena amissionis patrimonii (1). Has autem leges tulisse fatetur princeps, instante S. Pontifice, papa, ut inquit, *urbis Romae, qui in omnem mundum caput ecclesiarum Dei et sacerdotum est.* Gregorius II, Romae, anno 721, Synodum coëgerat ad sanctitatem connubii promovendam, canones mittens ad Luitprandum, illorum ei commendat observantiam. Sic natura Langobardorum sensim mutabatur, ac Romanae accedebat, ut observat clar. Troya (2). Tria adhuc barbaris placebant, pugna iudiciaria, sacramentalia et aquae ebullientis specimen. At in legibus regiis eminet religiosus sensus et devotio principis erga Deum et B. M. V. eiusque reverentia erga summum Pontificem, ad cuius pedes se proiiciebat etiam inter victoriae periculosa blandimenta Beatus populus, cuius princeps ad pedes se provolvere non dedignatur sanctissimi Patris christianorum! Hic enim non tondet vellera ovium ad instar eorum, qui sectarum lacte pasti sunt.

Homines hi non intellexerunt sacramentum Dei, immo neque statum naturae actu libero inter duos constitutum.

(1) V. Mozzoni, *Tavole*, et cael. Note al secolo VIII, nota 5.
(2) V. Troya, in cod. Langob., sub. num. 31. et 160.

Ipsos si audias vel potius si inspicias eorum modum agendi, dices non totum matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum, sed tantillam eius portiunculam eamque pure accidentalem. Hinc est, quod de intima coniugii constitutione rectores civilis societatis decernere sacrilego ausu praesumant. Ridicula praesumptio! Pactum enim, unde status coniugalis exsurgit, longe protenditur latius, quam quod possit dare civilis legislator vel auferre. Haec autem pacti matrimonialis obtruncatio informis iuvit vota audacis factionis, eaque suscepta est veluti fidei articulus ab his, qui more pecudum audaciores sequuntur. Nomine autem contractus enormiter abutuntur, causam confundentes cum effectu. Hic enim est unio permanens duorum sexu disparium sub certa lege, dum illa actus est transitorius, ex quo processit illa duorum stabilis societas (1). Ex hisce idearum perturbationibus ortae sunt laicae leges de impedimentis matrimonialibus, quae e diametro pugnant cum legibus Ecclesiae. Dicam vero prius de nubendorum aetate, examini subiiciens et secum conferens utriusque potestatis praescripta.

Res difficilis aleaeque plena est aetatem determinare ad nuptiarum capacitatem. Quis enim designare valeat mathematicum punctum, quo apparuerit in homine tum sufficiens cognitio mentis, tum necessaria corporis valentia ad nuptias contrahendas? Nemo sane. Citius enim in aliquibus, tardius in aliis moralis haec aut physica capacitas proditur pro varietate habitus corporei, vel

(1) Rauscher, opusc. memor.

mentis plus minusve expergefactae, nec non pro varietate regionum et climatum. Hinc sicuti determinari haud posset annus diesve senii, quo desinat ob mentis hebetudinem vel corporis languorem nubendi potestas, ita punctum mathematicum initii praefigere difficillimum est. Ecclesia, quae in sinu suo variarum constitutionum regionumque homines complectitur, aetatem divinare ne poterit, quae omnibus aeque conveniat? Qualem igitur constituendam ipsa arbitraverit? Si eam nimis distulerit, periculo se exponet impediendi coniugium capacibus non sine gravi damno vel spirituali, vel pecuniario, in calidioribus maxime regionibus, nec non laesione libertatis naturalis, quae intacta est relinquenda cuique, iudicio et physica potestate ad coniugium apto. Quod si hanc aetatem nuptialem plus aequo anticipaverit, occasio porrigeretur matrimoniis vel invalidis, vel praeproperis, inconsultis, iisdemque mali exitus. Sacri canones 14 aetatis annum pro masculis, 12 pro feminis requirunt. Haec autem aetas neque cita, neque sera nimis pro totius orbis plagis antiquorum canonum tempore. Minus patebat evangelicae plantae solum, quo tempore canones editi sunt statuentes nubendi aetatem, minus ad aquilonem minusque ad austrum fuit dilatatum. Praeterea tempore Tridentini, quo confirmata est aetas ab antiquis canonibus requisita, suspicio non erat quominus civilium legum latores aliam aetatem ac canonicam nuptiis assignarent, quemadmodum fit hodie. Alii enim eandem aetatem praestituunt pro masculis et feminis, videlicet 14 annorum, ut in codice austriaco legitur. Quid igitur? An physiologiae legibus consentit

magis Ecclesiae, quam illius codicis dispositio? An citius in femina, quam in masculo vires animi corporisque maturescunt? Plures moderni codices differentiam agnoscunt a canonibus praenotatam, ut gallicus, italus, etc. Ratio autem physiologica, sin psychologica, plus illis favere videtur. Ceterum vel sine hac differentia plures codices hodierni, ut gallus, italus, austriacus, aetatem nuptialem immutarunt a sacris canonibus praestitutam. Non itaque expectanda videtur a concilio determinatio aetatis, qua masculus pubet et foemina viripotens evadit. Sat esset, ita quidem pro modulo nostro sentimus, ut generatim requireretur pro coniugio pubertatis aetas, qualis demum cumque sit pro ratione constitutionum individualium vel nationalium. Sicque libertati iurique naturae consultum fortasse melius erit, quam per codices fiat, qui non semel naturae vocem offendunt, sub praetextu considerationum alterius ordinis. Hac ratione impedimentum aetatis ad illud ipsum impotentiae poterit reduci.

Sapientissime vero, ut in ceteris, se gessit Ecclesia, dum praescripsit ne masculi ante 14, feminae vero ante 12 annum matrimonium ineant. Ad quae constabilienda gravissimis mota est rationibus. Quandam natura constituit aetatem pro mentali et corporea aptitudine ad matrimonium, quae ob causas accidentales variat aliquantulum in gentibus atque individuis. Non enim, ut spurcissima femina apud obscoenum poetam gannit, quaelibet virgo, septennis etiam, viripotens est. Execratur enim Ecclesia et natura ipsa *cupidinem immitis uvae*, ut utar Petronianis verbis a Burmanno prolatis in eum

locum, ubi de Virgine ait, quae ut castum amisit polluto corpore florem, nec pueris iucunda manet, nec cara puellis (1).

Meminit Ecclesia, matrimonium institutum esse in officium naturae, naturaeque vocem idem non appetere, nisi certa adventante aetate. Ut mater universalis, Ecclesia leges proponit pro omnibus christianis, qui per varias terrae plagas dispersi nuptias inhiare possunt alicubi, nempe in calidioribus locis, vix illa adveniente annorum aetate. Neque sat fuit providae matri sic prospexisse libertati fidelium. Adposuit enim exceptionem in eorum gratiam, quorum naturalis capacitas aetatem praevenit quatuordecim annorum in masculis et duodecim in feminis: *Si malitia suppleat aetatem.* An aeque naturali libertati prospexerunt moderni codices aetatem maritandis praescribendo? Non putaverim. Moderni legumlatores plerumque aetatem exigunt 18 annorum in masculis, 14 vero in feminis maritandis (Cod. franc. et cod. ital.) Idque affirmandum de ipsis catholicis guberniis, nam codex Austriae praescribit aetatem 14 annorum indiscriminatim pro masculis et feminis (art. 48). Verum catholice egerunt Bavari legumlatores, dum normam Tridentini praescripserunt acceptaruntque canonica impedimenta ab eodem concilio posita (art. 5 et 7), atque insuper ipsissimam posuerunt canonum aetatem nuptialem (art. 10). In aliquibus immo christiani sensus argumentum magis praebuerunt legumlatores

(1) Petronii Satyricon, cap. 36, ed. Buechelerus, Berolini, 1862. Editio Burnemanni est Amstelodami, 1743. Cf. carmen 62, edit. Doering, Parisiis, Lemaire, 1836.

protestantes, ut Borussici, qui statuerunt (art. 136) matrimonium compleri per benedictionem clericalem. Religionis enim intercessionem, quam adeo reformidant catholici quidam, vel saltem liberam in nuptiis volunt, illi non sunt veriti. Superfluum vero est meminisse, in aliquibus codices nuptiales protestantium opponi catholico dogmati vel disciplinae ecclesiasticae. Ex quibus sat evincitur, quod praenotavimus, ecclesiastica nempe iura favere naturali libertati, dum leges civiles eandem non leviter intercipiunt, nubendi potestatem naturalem arctantes intra certos limites, ultra terminos quos natura posuit.

Praetereo, easdem caelibes invitos creare, ut contingit in militiae mancipatis. Quoad hos vero Borussici legumlatores eo usque progredi voluerunt, ut declaraverint, veluti invalidas rescindi posse nuptias a milite, non auctorante gubernio, initas (art. 938). Collisio itaque occurrit inter leges civiles et ecclesiasticas circa aetatem maritandorum. Aliae enim aetatem a canonibus praestitutam expresse adoptarunt, ut bavarus codex (art. 10); alii de aetate siluerunt, sed canonicam implicite adoptarunt, ut Sardus a C. Alberto editus; alii tandem aetatem maturiorem statuerunt, ut plures regionum catholicarum et dissidentium. Codex reipublicae Aloysianae in America aetatem canonum confirmat (93). Interdicit vero habetque pro nullo coniugium liberi cum servo immo liberi albi cum altero nigri coloris. Prima ordinatio consonat Ecclesiae legibus; non sic de altera mihi videtur, iudicio quidem tum Ecclesiae, tum physiologorum (95). Si igitur matrimoniorum libertas videatur

constricta, non tribuatur id Ecclesiae, potius vero civitatum rectoribus. Et quia minus deceret, ut Ecclesia a sua recederet via causa se accommodandi regum placitis vel reipublicae in libertatis iuriumque naturalium detrimentum, quid esset agendum, ut minuatur effectus deplorabilis huiusce conflictus? Vix suppetunt remedia contra mala tantopere deflenda. Ubi strictum adest vetitum praemittendi nuptias ecclesiasticas civilibus, ut in Gallia (1), ibi moneantur contrahere volentes, ut patienter expectent diem a legibus civitatis praefixam, neque admittantur ad sacramentum, nisi prius satisfecerint iussibus principis, ne Ecclesiae ipsi, aliter se gerendo, noceant. In Italia necessitas praemittendi nuptias ecclesiasticas civilibus imposita est ab episcopis aliquarum provinciarum; idque duplici, ni fallor, ratione. Rectus enim ordo Ecclesiae primas tribuit, deinde vero si nuptiae religiosae postponantur, incommoda enascuntur non minus levia, quam si eaedem praecesserint. Matrimonium enim civile, quaecumque adhibeatur cautela, semper gravissima gignit pericula; inhaerent enim huic monstro, quod naturam offendit.

Ceterum lex civilis, proprie loquendo, in Italia huic pragmaticae non obstat. Dico proprie loquendo; haud equidem ignoro mandata administri regii vetantis praemitti nuptias ecclesiasticas civilibus. Verum numquid in regno trium potestatum pro lege habetur administri placitum? Quod si patriae leges vetent, ne ma-

(1) V. Artic. Organic., n. 54. Quinquagesimus quintus et septimus statuunt insufficientia esse registra parochialia. Art. 2°, transiit in legem.

trimonium celebretur prius in facie Ecclesiae, tunc etiam monendi nupturi, ut expectare non graventur aetatem a lege civili praestitutam, ne sibi noceant futuraeque proli. Et si necessitas urgeat nubendi, suadeantur, ut ab auctoritate civili obtineatur dispensatio ob defectum aetatis, quae quidem concedi solet (cod. ital., cod. franc. art. 185). Sed quia urgeri posset matrimonii necessitas, quando, puta, sponsa ab aliquo tempore praegnante, sponsus timeatur cito moriturus, tunc, civili lege non obsistente nec minitante, sed tantum favores suos renuente, provideatur in Domino conscientiae tum morientis, tum superstitum. Hic igitur magis pastorale officium, quam potestas auctoritatis legislativae est requirenda.

Quid porro? Laudavi prudentiam Ecclesiae in statuenda aetate qua primum incipit nubendi capacitas, et seriore quidem pro masculis, citiore vero pro feminis; et tamen votum iam prius expresseram, ut concilium a strictiore determinatione eiusdem aetatis temperaret, generatim innuens pubertatis initium. Distingue tempora, et habebis ius. Quando canones praedictam aetatem praefixerunt nuptialem, tunc rei civilis rectores lubenter et fidelissime se se accommodabant Ecclesiae legibus, neque suspicio aderat eventuri lamentabilis conflictus. Ecclesiae verbum lex erat pro singulis fidelibus cunctisque christianis societatibus. Repones, impossibile videri, ut una certaque aetas assignetur conveniens fidelibus omnium locorum. Sed talis praefixa est aetas, quae pubertatem in frigidioribus etiam zonis adducere possit et plerumque adducat. Aetas itaque ab Ecclesia

praefixa praesumptionem includit pubertatis. Deficere in casu particulari ob serotinum illius adventum potest: tuncque in foro interno nil actum fuit, in exteriori autem militat praesumptio pro validitate, quae quidem praesumptio perseverat, donec per factum contrarium destruatur. Ut plurimum stat cum veritate praesumptio, quamquam per accidens ab illa dividi possit. Assignata autem in genere pubertatis aetate, occurritur conflictui praesumptionem inter et realitatem. Sed tamen certa aetas aliqua, si non praescribenda, sumenda ut norma est indexque pubertatis pro diversis regionibus; quae norma ex spectabili corporis habitu vim accipit moralemque certitudinem adducit. Alia omnino ratio est temporis, quo degimus. Iam a duobus circiter saeculis civiles legumlatores, in Gallia praesertim, aetatem immutarunt, qua incipere nuptiae possint: sed eorum praescripta ultra civiles non excurrebant nuptiarum effectus. Longe peius actum est, postquam rebellionis spiritus coepit omnia turbare in Gallia primum, deinde aliis in ditionibus, ad quas pervasit gallica lues. Aetas plenae pubertatis, quae est 18 annorum in masculis, 15 in feminis, assignata est pro nuptiarum validitate. Si prius fiant, nullius ponderis habentur, sicut et illae, quae a filiis familias ineuntur, insciis parentibus vel invitis. Sic praestiterunt matrimonii civilis auctores, ut se ab Ecclesia matre emanciparent, nec sperandum videtur, illos cito ad huius sinum redituros. Miserandus itaque conflictus exoritur inter illam et civitatem in fidelium et civium detrimentum. Pone enim, adolescentem ante 18 annum nuptias inire ubi haec aetas requiratur iure ci-

vitatis. Eius coniugium, validum coram Ecclesia, irritum est iure civili, proindeque ille, semel adeptus annum 18, poterit ad alias convolare nuptias sub tutela civilis iuris. Ita Ecclesia in hac facti specie agnosceret primas nuptias, imperium vero secundas. Iudicio illius secundae nuptiae sunt purus putusque concubinatus, at huius iudicio hac nota inuruntur priores. Patens itaque collisio est inter leges matrimoniales Ecclesiae et eas quae a civitatis quibusdam rectoribus conduntur. Verum numquid huic obviam itur, si concilium, aetate relicta, requirat tantum malitiam, capacitatem nempe solum intelligentiae visque physicae? Palam est, id absolute et totaliter non posse obtineri; semper enim contingit, ut naturalis aptitudo ad matrimonium praeveniat tempus a legibus imperii praestitutum, in partibus maxime fervidioribus eiusdem imperii, atque ipsamet capacitas tutissime asseri possit etiam in iudicio; sicque omnino vitari nequeat tam exitiosa antithesis. Hic tamen non adeo patens foret; proinde Ecclesia non fixo pubertatis tempore, facilius posset iuvenes removere a matrimonio ante annos a lege civili praescriptos, qui maturiorem indicant et tutiorem pubertatis praesentiam Dices, semper tamen posse ecclesiasticam potestatem, immo prudenter debere, religiosum ritum nuptialem denegare praecocibus maritandis. Verum matrimonia religiosa quandoque etiam per insidias surripiuntur; quod pareret miserandum illud certamen, de quo iam satis. Ceterum, iuxta systema propositum, non adeo aperta contradictio Ecclesiam inter et civitatem. Illa enim iuri naturae faveret et necessitati, ut in quibus-

dam locis cito contrahi coniugia possint, haec e converso maturitatem curat deliberationis, optabilem ubique gentium.

CAPUT XXXIII.

IMPEDIMENTA ET LEGUM CONFLICTUS.

Multifariam multisque modis explicatur inter Ecclesiam et civitatem nomomachia, seu legum discrepantia atque concertatio circa matrimonialia impedimenta. Cave tamen putes, Ecclesiam huic dissensui occasionem praebuisse, nedum causam. Sapientissime enim illa se gessit in legibus nuptialibus tradendis, quas ex iure matrimoniali primaevae institutionis ad quam se refert evangelium ipsum, perbelle derivavit. Olim codex Ecclesiae matrimonialis a principibus christianis accipiebatur absque beneficio, ut aiunt, inventarii; quod erat obsequii et fiduciae argumentum filiorum in matrem. Sensim nonnulla fuerunt immutata quoad nubendorum capacitatem, maioris cautelae praetextu et cum declaratione expressa, quod qui secus faxint, effectus mere civiles coniugii non sortientur. Quae ratio agendi quamvis acatholica dici nequeat, potest tamen contrahentes coniicere in malas tricas. Indirecta vero ac veluti negativa se prodit oppositio legum civilium, quando nempe ratum habeant coniugium, etsi aliqua desiderentur requisita a lege ecclesiastica, v. gr., ne contrahentes cognati sint in quodam minus proximo gradu. Apertior tandem atque exitialior pugna in eo sita est, ut civilis potestas rata habeat

coniugia absque benedictione sacerdotali peracta, a qua non eximit christigenas. Haec enim quamvis iure naturae non exigeretur, ut censet Puffendorfius, neque etiam expresse mosaico iure sit praescripta, a traditione tamen generis humani ad nos usque est illapsa. Iudaei scilicet a patriarchis eandem acceperunt, nos vero a Christo qui Canae nuptias sanctificavit (1). Tale sit oportet christianorum coniugium, quale decet sanctorum filios, non quale fit inter gentes, quae Deum ignorant.

Sed transeamus ad particularia impedimenta, atque ordiamur ab eo, quod spiritualis dicitur affinitas. Ab Ecclesia introductum graves ob causas, nempe tum ob reverentiam vinculi spiritualis, tum etiam ne spiritualis consuetudo in periculosum evaderet commercium, arctis dein fuit constrictum limitibus. Vide huius impedimenti historiam penes historicos sacros (2). Catholicorum codices civiles implicite saltem id genus impedimenti agnoscunt. Dixi *saltem implicite;* nullibi enim quod sciam, expressa legitur haec confirmatio, nisi fortasse in codice Bavariae, art. 90; quod tamen interpretandum videtur potius de naturali consanguinitate. Verumtamen codices a modernae libertatis genio insufflati, qui civitatem ab Ecclesia separat, corpus a spiritu, hoc impedimentum a religiosa decentia exortum haud agnoscunt. Quod idem dixeris, si tamen logici velint esse hi legumlatores, de eo quod ex profes-

(1) V. Grotium in Matth. I, 18; Puffendorfium, *De iure nat. et gent.*, VI, I. Tobias VIII, 4 Moysis supplet silentium. Vide quae edidimus de matrimonio civili.

(2) V. Schulte, *Manuale del diritto matrimoniale cattolico*, vers. fin.

sione religiosa vel ex sacris ordinibus exoritur. Hisce acatholicis sensibus quadantenus conspersi apparent famosi articuli dicti organici, quorum secundus nunc quoque in Gallia constituit legem. Videatur etiam LV, qui cum aliis Ecclesiae catholicae detrahit iurisdictioni. Quinquagesimus septimus et ipse diffidentiae inchoat systema, dum insufficientiam declarat parochialium tabulariorum ad coniugiorum census.

Ceterum impedimenta matrimonii catholici videbis et confirmata in codice Bavariae, v. gr., art. 8, alinea 3. Ipsissimae, ut innuebam, gentium heterodoxarum leges quandoque catholicis usibus inhaerent. Sic codex helveticus Valdensis comitatus in paroeciis sponsorum (73, alin. 2) coniugium statuit celebrari. Non desunt itaque legumlatores, tum ex parte haereticorum, tum ex parte politicorum, qui *statolatrae* merentur dici, non semel, inviti forsan, obsequium principio catholico exhibentes. Ii enim matrimonium civile cuderunt a potestate ecclesiastica independens, sed non pro omnibus civibus; separare nituntur civitatem ab Ecclesia, et tamen Ecclesiae legi circa professionem religiosam et ordines sacros obtemperandum duxerunt. Et sic in quibusdam vim canonum agnoverunt. Profecto ubi systema acceptum est absolutae, ut aiunt, separationis, et matrimonium conflatum est pro omnibus singulisque civibus nullo devinctis impedimento naturali vel civili, neque presbyteri, neque religiosi professi, qui canonum lege tantum manent obstricti, ab illo novi generis connubio non possent vi patriae legis arceri. Laetamur tamen, quod in Italia quidam magistratus peccarint in logicam potius quam in ethicam publicamque de-

centiam presbyteros apostatas et regulares eiusdem frugis ab eodem matrimonio removendo. Non sum vero nescius, eosdem fateri se non ob rationes canonicas ita censuisse, potius vero ob causas publicae honestatis atque ad scandala removenda. Fatentur itaque praescripta canonum iuncta intimius esse cum morum honestate, et fructus legis civilis scandala parituros esse in populo christiano. Sed quoniam de publica honestate contigit sermo, animadvertimus hanc, quae est quodammodo affinitas exemplata, non memorari a civili legumlatore, sicuti nec etiam affinitatem ex illicita coniunctione ortam. Leges tamen romanae aliquantam habuere rationem huiusce publicae decentiae (1). Sed quia modernae leges eandem absolute praetermiserunt, hinc lamentabilis se prodit conflictus inter illas ac canonicas, quae impedimentum dirimens ponunt in affinitate ex copula illicita et publica honestate. Finge itaque, alterutro laborantem impedimento matrimonium petere coram civili magistratu. Annuitur, sicque fit matrimonium nullum in conspectu Ecclesiae.

Quod vero ad cognationem attinet, Ecclesia quae ad septimum usque gradum protendebat matrimonii vetitum, illud ipsum ad quartum postea iure Tridentino coarctavit. Laus ei danda ob providas hasce praescriptiones; ea enim sic foedera nuptialia inter proximiores prohibendo, vincula strictissima inter remotiores christiani generis personas promovit. Quod quidem dum votis evangelicae caritatis, quae universalis est, melius respon-

(1) V. Schulte, *Manuale del dir. matrim. cattol.*, edit. ital.

dere videtur, iuvat ex altera parte ad christianarum generationum valetudinem, robur, formositatemque magis fovendam. Memoro quae scripsit s. Chrysostomus de provida lege christianorum nuptias vetante inter strictiores consanguineos; et memoro etiam quae physiologi docuerunt contra nuptialia foedera proximiorum parentum. Vitia enim organica, si ex proximis familiis quaerantur matrimonia, eo evadunt intensiora, quo magis generationes multiplicentur. Hoc ipsum experientia constat rationibusque physiologicis (1). Etiam lineamenta physionomica, quae notas quasdam constituunt, quibus gens, cognatio, familia ab alia secernitur, adeo sensim explicatiora evadunt et magis exaggerata in generationibus obortis ex coniugiis propinquorum ac velut domesticis, ut saepe in deformitatem cedant risumque moveant (2). Adde simul, spem vel praetextum futuri coniugii laxiores ac liberiores reddere mores consanguineorum nubilium. Causa igitur charitatis christianae, quae vincula generis humani extendere satagit; causa publicae valetudinis et moralitatis sapientissimas inspiravit Ecclesiae leges. Non desunt tamen, quae in concreta facti specie matrimonia suggerunt inter consanguineos et affines; atque in hisce casibus piissima mater Ecclesia non aegre dispensat. Verum est quidem, minus large a Moyse vetitum esse coniugium inter consangui-

(1) Plures doctores physici hoc sensu pertractarunt de matrimoniis consanguineorum. Memorabo inter caeteros nuperum doctorem Mantegazza, *Studii sui matrimonii consanguinei*, 2 ediz.

(2) Schulte, *Illustrazione della legge sul matrimonio de' cattolici*, edit. mediol. pag. 72.

neos iudaeos. Sed iudaei, ut norunt omnes, in particulari versabantur conditione tum respectu exterarum gentium, tum respectu diversarum tribuum inter se coniunctarum cum nonnullis cautionibus. Quid quod? Numquid ipsi populus erant, qui amplitudine aequaret populum christianum? Numquid alia non erat apud eos constitutio familiarum? Necessitas servandi in illis iura, proprietates, traditionemque promissionum divinarum poscebat, ut arctiora foedera inirent cum propinquioribus. Ad hunc finem directae erant aliae mosaicae praescriptiones, ut redditio proprietatum superveniente anno iubilaeo. Sed numquid christiani principes populos regunt, quorum socialis constitutio ei par sit, quae iudaeis contigit? Haudquaquam. Recentiores tamen codices nuptiarum prohibitiones arctioribus concludunt consanguinitatis gradibus. Sic ad proximiores gradus coarctant nuptiarum prohibitiones codex gallicus, artic. 162, 163, praebita regi facultate dispensandi ab impedimento quo irretiuntur avunculus et neptis, patrua et nepos, 164. Similia fere habet codex Helveticus Comitatus Valdensis, 68, 70, 71, codex batavus, 87, 88. Quod sic egerint legumlatores haeretici vel aestu gallicae perturbationis desinente saeculo abrepti, ne valde mireris. Mirandum potius, id actum fuisse a legislatoribus italis, qui se ad ravim usque catholicos iactant, ab austriacis, qui serviunt apostolico imperio (60-67). Nonne et ipsum actionem concedit ad rescindendum coniugium, quando uxor reperta sit uterum ex alio gerens (58)? Atqui hoc haud convenit catholicae doctrinae, quae stat pro indissolubilitate coniugalis vinculi.

Inter varias igitur laicas leges quibus obtemperare coguntur christiani, quaeque legibus christianis opponuntur, quid poterunt Vaticani patres? Non is certo sum, qui velim proponere orbis catholici legumlatoribus, ut ecclesiastica statuta, in quibus tantum demiratus sum sapientiae florem, concordare dignentur cum civilibus, quae non leviter manca sunt in comparatione priorum. Stet incommutabile verbum Ecclesiae, quod protulerunt Tridentini patres. Iam prudentiae et benignitatis argumenta praebuit, cum a septimo ad quartum reduxit gradum prohibitionem matrimonii inter consanguineos et affines. Nunc autem regredietur ne illa ad secundum usque, quia solum hunc attingunt civiles leges plurium ditionum? Hoc est enim gravium origo malorum, collisionis nempe inter ecclesiasticam potestatem et laicam. Si enim ultra secundum gradum matrimonium ineatur, nullum existet in facie Ecclesiae, dum ratum erit iure civitatis. Quod quidem si coniugium mere civile ratum habeat, occasionem suppeditat malae voluntatis hominibus permanendi in statu legalis concubinatus. Sed quid? Numquid Ecclesia tantorum fiet causa malorum? Nequaquam. Ipsa graditur per viam suam: leges conficit sapientia refertas, sanctas, atque generatim populorum moribus accommodatas ac indoli. Si civiles legumlatores, novitatis magis quam opportunitatis studiosi, ab illis recedant, illane deseret semitam suam ut post eorum vestigia abeat? Filioli non amplius discent a matre incedendi rationem, sed haec ab illis normam accipiet eundi? Ecclesia non mutat leges suas ad instar politicarum concionum, quas condendi novas leges insatia-

bilis exagitat cacoethes. Ecclesia operatur usque modo, ut divinus suus sponsus, non retractat facta sua, sed patiens, ut omnipotens auctor suus, expectat donec prodigi revertantur. Deus autem misericors, qui sanabiles fecit nationes terrae, ipse tandem aliquando reducet ad cor insanientes legum conditores. Agnoscat civitas leges ab Ecclesia conditas; haec enim observantiam civilium, quae ab ecclesiasticis non discordent, semper inculcat. Id ipsum sufficere deberet ad restituendam eam inter utramque connexionem, quae, semper desiderata, quandoque obtineri nequit, adhibitis licet mediis quae proferuntur (1). Ceterum, ut redeamus propius ad rem, nihil incommodi sustinerent civitates, si eorum legumlatores impedimentum cognationis agnoscerent ad quartum usque gradum productum (2). Vix tamen expectandum istud obsequii erga Ecclesiam matrem ab iis etiam politicis qui catholico nomine vocari praesumunt. Sicque ipsi immerito longiorem efficiunt illam ipsam discordiam duarum potestatum in re eadem, eaque tam gravi, quae plura offert incommoda, magnumque periculum coniugii civilis, quando adsit impedimentum ecclesiasticum dumtaxat, et per tempus longum sit expectanda dispensatio. Ausim rogare Patres, ut episcopis conferant dispensandi facultatem ab impedimentis iuris ecclesiastici, quorum rationem non habeat lex civilis.

Verum ne quid nimis sonet petitio mea, valde extimesco. Memini etenim concivem meum Cardinalem Mar-

(1) V. Alasia, *De legibus*. diss. 4, cap. 3, art. 2 et 3.
(2) V. Schulte, op. sup. mem.

cum Antonium Bobba, Augustae Praetoriae episcopum legatumque Sabaudiae ducis incassum orasse in Tridentino, ut episcopis facultas daretur dispensandi in quarto saltem consanguinitatis gradu. Et modo quum tam plana tamque cita evaserit communicatio cum R. Sede, tanta poscis quanta nec obtenta fuere retro? An non hoc foret augustam illam Sedem ad ima pertrahere et super eandem episcopos extollere? Quorsum centrum ipsa manebit ecclesiasticae societatis, si adeo illius resecetur iurisdictio? Dicam tamen in simplicitate cordis et animo submisso, quae sentio. Alia modo conditio christianae reipublicae ab ea in qua sita erat Tridentini tempore. Nunc celerius quam saeculo XVI cum apostolica sede communicatur; sed fidelis populus etiam modo arte malignantium arcetur magis ab hac communicatione catholicae vitae pernecessaria. Dispensatio apostolica nunc quoque tempus requirit aliquarum hebdomadum, quo labente tempore tentatio ingruit parendi monstruoso incubo, quem dixere civile coniugium. Si in momento, in ictu oculi evanescat impedimentum ecclesiasticum, coniugium fiet coram Ecclesia: secus ingentis scandali periculum exoritur. Episcopi hisce in salebris haerentes, si ut s. Sedis delegati ab impedimento canonico dispensarent, non profecto minuerent illius gloriam, dum mala gravissima praecaverent. Non is certo sum, qui optem s. Sedis demissionem, ut episcopos exaltem. Potius quam maxime exopto, ut illa honoris apicem assequatur paremque exerceat potestatem. Episcoporum potestas et fortitudo pendet ab eorum unione cum Pontifice summo, sicut fortitudo militum ab unione

cum eorum duce. Proferant Episcopi verbum exaltationis R. Pontificis, et seipsos exaltabunt etiam reddentque fortiores. Quid quod? Rationalismus in Italia, in Germania, in Gallia et alibi supremum suum protulit verbum fidei subversivum. Cur non prodent supremum suum verbum fidei praecones et magistri? Cur non obfirmabunt supremae auctoritatis iura? Cur non iudicabunt subiectum, in quo resideat falli nescia haec auctoritas suprema? Subiectum istud sit R. Pontifex, delectus ad confirmandos fratres in fide. Utique etiam Concilium subiectum est auctoritatis infallibilis, sed extraordinarium, non vero ordinarium. Saecula enim possunt praeterire, quin sit possibilis conciliaris coactio. Quanta temporis intercapedo unam inter et alteram oecumenicam synodum! Si Romano Pontifici non superfuisset hoc suae ditionis frustulum, fuisset ne possibile universale Concilium? Haud puto; sunt enim filii congregandi in domo Patris. Dicitur vero non opportunum illud definitionis. Sed quandonam adveniet diu expectata haec opportunitas? Si Patris communis infallibilitas veritas est, quando quaeso tempus aderit huiusce promendae fidei veritatis? Expectandum ne est ut hora deficiat? Id quidem continget, si citato gressu nos properamus ad exitum saeculi iuxta traditionem domus Eliae. Nobis post versata aurea volumina scriptorum, quae passim nominavimus, longe alia insidet opinio, adeo nobis corde manet supremae Sedis exaltatio! Quantum episcopi illi tribuent, tantumdem recipient ab ea (1). Hoc interiecto excursu, qui testimonium perhibet animi

(1) Memento, id scriptum esse sedente adhuc Concilio Vaticano.

intimius vulnerati, audemus sciscitari christianorum gentium moderatores ita: Quid mali pateretur civitas, si illius lex statueret, ad normam iuris ecclesiastici, ne videlicet matrimonia fiant intra quartum cognationis et affinitatis gradum? Nullum profecto. Ergone ob causas futiles excitabitur pugna Ecclesiam inter et civitatem et via aperietur, ne dicam offeretur, tentatio fidelibus scindendi matrimonium civile a religioso et concubinatum praeponendi iustis christianis nuptiis?

Alia vero canonica extant impedimenta, quae in hoc illove codice matrimoniali laico absolute desiderantur, alia vero imperfecte solummodo recensentur, cuiusmodi est criminis impedimentum, de quo mox dicendum. Adsunt e converso civilia impedimenta, legibus ecclesiasticis absolute ignota, vel ab iisdem haud recensita inter impedientia. Sunt autem ista: 1um Minor aetas, seu incapacitas ex se se et absque iuridica assistentia contrahendi obbligationem vim legis habentem; 2um Status militaris. Hoc enim sanguinis tributum non modice vulnerat libertatem, coelibes coactos creat, et saepe florentes thalamos facit desertos; 3um Damnatio capitis vel ad carcerem perpetuum. Dolendum tamen, etiam istis catholicis contingere posse necessitatem praemittendi coniugium amissioni vitae vel libertatis. 4um Est participatio causae divortii; 5um Est defectus publicationum nuptialium. Ab anno 1867 desiit in Austria impedimentum, quo illaqueati existebant capitis damnati atque ad durum carcerem. Ignota vero Codici civili impedimenta cognationis illicitae, vel provenientis ab invalido et consummato matrimonio, publicae honestatis, affinitatis spiritualis.

Variant insuper leges utriusque fori quoad aetatem, raptum, errorem, vinculum praeexistens, consanguinitatem, affinitatem, honestatem publicam ex coniugio valido non consummato (1). En quot discriminum capita inter leges nuptiales Ecclesiae et eas, quae a maiestate apostolica prodierunt. Quid ergo? Quomodo fiet compositio? Profecto s. Sedes non transmutabit impedimenta matrimonii dirimentia, nisi prius certo statuatur omnium fidelium necessitas testimonio antistitum simul coactorum (2). Verum ut ad criminis redeamus impedimentum, praemittimus, sapientia et exemplari prudentia nitescere, ut in aliis, sic in hac re ecclesiasticas leges. Triplex enim secundum eas facies huiusce impedimenti: adulterium cum promissione vel coniugicidium cum eadem, aut etiam sine, sed cum intentione mutuo patefacta nubendi. Sola promissio non inducit impedimentum, et iure naturae stat, si feratur in tempus futurum, quo promittens et repromittens sui iuris evaserint perfectaque libertate fruantur. Plures tamen civiles legumlatores huius generis promissa declarant irrita, atque in hoc laudantur a scriptoribus heterodoxis (3). Nobis ex adverso videtur innocens ista promissio, licet in particulari periculosa fieri possit. Pone maritum polliceri fidem amicae uxoris suae, quae versatur in periculo vitae, post huius exitum implendam, quis dixerit, non stare iure naturae hoc promissum, vel saltem ob causam

(1) V. Rauscher, *Il matrimonio e il capo 2° del cod. civ.* c. XIV.
(2) Ibid. c. XV.
(3) Ita Barbeyracius in annot. ad lib. III cap. VII Puffendorfii *De iure nat. et Gentium,* et ad Grotii D, I. B.et P. lib. 2, c. 11, § 8.

boni publici dirimendum? Non minus ab aequo temperamento Ecclesiae recedunt codices nuperi: italus nempe solum respicit homicidium, austriacus sistit in adulterio a promissione seiuncto, et in homicidii conatu; bavaricus tandem solum homicidium respicit ut canonicum coniugii impedimentum (V. 1um art. 67-68; alterum art. 113, alin. 6). Utrobique substantia deest ecclesiastici vetiti. Quaenam, petimus, causa publici boni hic laicos impulit legiferos ad deserendum systema Ecclesiae tam sapienter excogitatum?

Religionum disparitas impedimentum iure canonum nuptiis creat; sique res agatur baptizatum inter et regenerationis lavacro haud ablutum, impedimentum exurgit dirimens coniugium. Quod quidem fundamentum invenit in rationabili Ecclesiae consuetudine. Quae enim societas fidelem inter et infidelem? Societas tamen civilis novum creavit matrimonium, possibile, legitimum, quod immo iure novo non potest recusari in tanta cultus disparitate. Monstruosum hoc connubium, quo mortua corpora iunguntur vivis, exitiale est christianae reipublicae, et christianam ethicem subvertit (1). Huc usque perducunt doctrinae legis atheae et divortii civitatis ab Ecclesia. Separando quod Deus coniunxit, funeste coniungitur, quod Deus abhorret. Altum proinde silentium hac de re apud gallicos atque italos legumlatores. Non ita heterodoxi, quibus tamen piaculum visum est abstrahere omnino a religione in codice matrimoniali. Sic Borussicus nullum declarat coniugium inter christianum

(1) V. Schulte, *Manuale del dir. matrim.* § 32.

et profitentem religionem, quae impediat christianarum legum matrimonialium observantiam. Quae declaratio haud tamen est satis exacta. Opportunior Austriaca, iuxta quam disparitas religionis, non autem solius confessionis, coniugium dirimit. L. 70-76, N. 5. Ceterum illa Borussica praescriptio concordaret cum monitis Pauli, si ageretur de matrimonio, quod praecesserit conversionem unius ad fidem, et de sequenti cohabitatione, quae alligata esse debet conditioni pacificae et christianae conviventiae absque iniuria Creatoris. Verum si de matrimonio contrahendo res sit, tunc certo defectus baptismi in altero obicem creat insuperabilem. Non est tamen superfluum advertere, articulum illum legis ita posse intelligi, ut incompossibiles dicantur cum homine christiano religiones omnes quae baptismum non admittunt. Sed de hoc satis. Advertendum potius est, coram legibus nationum, quae se iactant progressus viam emensas, stare posse coniugium inter christianum et iudaeam vel mahumedanam. Et si ob repugnantiam naturae humanae insitam id genus coniugiorum impediatur, quaenam foret cohaerentia cum effatis, quae buccis crepantibus proferuntur de *libertate conscientiae, separatione reipublicae ab Ecclesia* et lege atheistica? Ex hac legum progenie fluit divortiorum licentia. Si enim coniugium est dumtaxat contractus civilis, quid vetat illud, quando magis libuerit, solvere? Vincula enim mutuo consensu constructa, et eadem causa solvuntur. Fluit etiam alia turpis consequentia, quae est licere viris religiosis et clericis matrimonium sacrilegum inire. Pudet et liberos legumlatores huius sacrilegae consequentiae, quamvis

legitimae; ideoque eam repellunt cum logicae iactura. Satius tamen foret confiteri veritatem, et cum legumlatoribus Austriae 70-76 N. 5, Neapolis, 162, Bavariae, art. 8, N. 3 excludere a matrimonio, qui solemni religionis voto vel ordine sacro sunt irretiti. Inter homines diversarum christianarum confessionum extat prohibitio matrimonii, quae tamen non irritat actum, ni forte baptismo invalido ob materiae vel formae defectum utantur. Ubi catholici cum haereticis permixti vivunt, frequentiora ineuntur mixta matrimonia. Opportunum, immo providum videtur, ut ibi ecclesiarum praesules potestate polleant relaxandi impedimenta quo citius agi possit, atque impediendi neglectum christiani matrimonii ob morae impatientiam, maiusque commodum civilis unionis. In iis locis antistites frui solent requisitis facultatibus velut Apostolicae Sedis delegati. Idipsum si quis putaverit extendi ad caetera loca, ubi rarius nectuntur ea foedera, non culparem modestum votum. Profecto Concilium Vaticanum non solum necessitatem inculcabit coniugii catholici, verum etiam occasiones, intra limites sui officii et decentiae, subtrahet praeferendi, ut expeditius, civile matrimonium.

Sapienter canonicae leges impedimentum eruerunt ex adoptione perfecta seu adrogatione. Qui enim translatus est in aliam familiam, in eaque insertus ut oleaster, arcta contrahit vincula cum membris huius ascititiae familiae, ac si sanguinis fiat nova communio. Reverentia itaque debetur novis hisce commerciis. En fundamentum canonicae iurisprudentiae, quae naturam sequitur et reveretur facta ad naturae rationalis amussim exacta. Plures

inter recentes leges vincula adoptionum firmarunt, ab iisque impedimentum derivarunt matrimonium dirimens (1). Verum hoc vinculum neglexerunt alii codices, a spiritu libertatis saepe contra naturae sensum dictati. Praesules sub horum imperio viventes egere mihi videntur et in his adiunctis facultatibus extraordinariis, ne contrahere volentes nuptias longius detineantur ab huiusce generis minus notis impedimentis. Verbum adhuc addiderim de servitute.

Sapientissime lex christiana matrimonia vetuit inter liberum et servum. Quae enim unum inter et alterum perfecta iurium communicatio, qualis in coniugibus requiritur? Christianismus libertatem etiam materialem gentibus asseruit et tradidit verbo virtutis suae, docens omnes pariter fieri filios Dei eosdemque inter se fratres. Factum tamen extabat, lamentabile et vetustate solidatum, a quo fas non erat deflectere. Terrarum enim orbi incumbebat servitus, fide vincenda paulatim mutatis moribus, non abrumpenda per violentiam ethnicae societati illatam. Haec autem romanis legibus nixa servos, qui non erant personae sed res, a matrimonii beneficio excludebat; inter illos non coniugium fieri sed contubernium, quemadmodum liberum inter et servam possibilis tantum erat concubinatus. Dum humani generis pars magna alteri serviret, christianismus non armavit Spartacos, suasit tamen dominis principia evangelicae libertatis, universalis fraternitatis, simulque hortabatur servos, ut libenter subditi remanerent, donec esset serviendum. Dum autem res ita se haberent, ne-

(1) Cod. delle due Sicilie, art. 159, 163; Cod. Pruss. art. 13 e 969.

cesse erat, ut liberos inter et servos, cum hi sui iuris non essent, vetarentur coniugia, quae sunt forma perfectae societatis, ubi aequalitas et ordinata subiectio osculo pacis consociantur. Licet autem Ecclesia rationem habere debuerit facti ineluctabilis, sapienter tamen et pro modulo circumstantiarum leges temperavit de coniugio servorum, ut videre est in earum serie (1). Ipsa vero prius desiit de servitute loqui, quam ipsi civilium legumlatores. Quis crediderit unquam? Etiam saeculi XIX codex de servitute adhuc loquitur, statuitque nulla fore coniugia liberae cum servo. In altero enim hemisphaerio coram luce christiana et splendore civilitatis, tantopere vulgo iactatae, permanet adhuc servitus gentium. Codex regionis Ludovicianae, de quo iam tetigimus, invalidum declarat coniugium liberi cum serva (95). Iusta est lex, quae tamen stigmate inurit saeculo lucis et progressus. Non tamen aeque libenter probarem, quod immediatae subiungitur de coniugio inito ab homine albo cum libera nigri coloris. Curnam ipsum declaratur invalidum? Si ambo liberi contrahentes, ambo baptismate abluti, cur inter eos stare non poterit vinculum naturae? Anne colorum varietas varietatem stirpis arguit, ut aliqui haud ita pridem somniabant? Dicant quid velint Virey aliique, naturae librum haud recte intelligentes, nos in ea varietate discrepantias tantum videmus accidentales, quae nullam probant originis diversitatem, nullum pertimescere faciunt exitialem phy-

(1) Videsis München, *Della schiavitù come impedimento al matrimonio* in ephem. philosoph. et Theolog. cath. Bonnae an. 1840, p. 44-67.

siologicum effectum, quaeque sub alio climate coeli post paucas generationes evanescunt. Aliud est servilis conditio, quae humanam destruit personalitatem, aliud vero varietas in colore, quae ultra superficiem non permeat. Ergone in Concilio Vaticano I retinendum adhuc est impedimentum, quod a servitute procedit? Lamentabilis conditio id exigit, quia ob temporalia commoda homines valedicunt etiam charitatis officiis. Ceterum servitus puellarum, quae in matrimonio sequi coguntur voluntatem patris, non est ignota hisce libertatis temporibus. Ab hoc nimis dolendo impedimento nulla dispensatio; coniugium enim solum inter liberos nectitur.

Hisce praepositis dico, non esse exigua mala, quae modo Ecclesiam fatigant. Populorum incredulitas vel religiosa indifferentia, legum civilium excessus, morum corruptio difficultates augent, quibus via intercluditur ecclesiastico ministerio. Quid igitur agendum? Non sunt certo flectendae ecclesiasticae leges vulgi opinionibus aut societatis corruptelis. Infirmitatis tamen ratio est habenda, expeditior reddenda actio pastoralis episcoporum, amplianda potestas eorum, sicut decet Apostolicae Sedis delegatos, et resecandum quidquid vel superflui vel minus necessarii inveniatur in ecclesiasticis iudiciis quo celerius dispiciantur atque absolvantur. Sic Ecclesia non derelinquetur, neque pro eius benedictione recipietur maledictio.

Opportune hic redeundum putamus ad formam iudicii, maxime breviandam quoad matrimoniales causas. Quas reponeres nunc non quidem inter ordinarias, sed potius inter urgentes atque summario iudicio expediendas.

Si illis accenseo quaestiones de iure ad beneficia curata, de remotione ab iisdem, de alimentis, si quae sint regiones in quibus iudices ecclesiastici de iisdem cognoscant, obliviscar ne quaestiones de sponsalibus et de matrimonio, modo praesertim cum instet minax monstrum civilis connubii? Quo in summario iudicio delibatio levis potius, quam plena cognitio causae sumitur. Quod ne fiat in iustitiae detrimentum, abbreviatio iudicii aliis poterit compensari auxiliis. Nempe collegialiter proferri posset primum iudicium a Vicario generali seu officiali, qui secum assumat duos iudices synodales vel pro, doctores in iure vel saltem in sacra Theologia, aut caeteroquin doctos, cum quibus de urgenti quaestione cognoscat atque definiat. Victae dein parti non videretur brevitatis ergo concedendus recursus ad Metropolitam, sed tantum ad s. Sedem, quae extraiudicialiter et sumta levi causae delibatione, promat inappellabile iudicium. Tribunal collegiale hic propositum verteret tum ad maiorem contendentium satisfactionem, tum etiam ad cleri, urbani praesertim, exaltationem, tum tandem ad os obstruendum eorum, qui ob defectum collegialitatis iudiciariae Ecclesiam incusabant, immerito quidem, quippe quae huic defectui supplere soluit duplici saltem appellationum gradu. Non hic agimus de securitate, quae nunquam defuit, iudicii, potius vero de eius celeritate, deque minuendis expensis litium. Ne vero, quaeso, propter hoc succenscant nobis Metropolitae venerabiles; nos enim rectissima loquimur intentione, neque ignoramus, quibusdam in casibus vere urgentibus iudicia Ecclesiae saltuatim expleri. Praeter iudiciorum compendia memini

iam facultates extraordinarias episcopis impertiendas pro temporum gravitate. Ita Pius VI clero gallico, rebellione furente, extraordinarias contulit facultates praesertim quoad matrimonia. Talis est potestas dispensandi ab irregularitatibus, a voto simplici etiam castitatis, ab impedimento publicae honestatis iustis ex sponsalibus, ab impedimento criminis, neutro tamen machinante coniuge, cognationis spiritualis praeter quam inter levantem et levatum; a tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto pro contrahendis nuptiis et pro contractis. A secundo simplici et mixto, dummodo nullimode attingat primum, etiam pro nuptiis contrahendis. Atque in his omnibus agent episcopi tamquam Sedis Apostolicae delegati (1).

De matrimonio conditionibus alligato videtur antagonismus exsurgere inter canonicas leges iusque civile recentius. Praemittimus vero, nos sermonem non habere de conditionibus substantiam coniugii afficientibus, quae proinde illud ipsum vitiant nullumque reddunt, non de turpibus ac impossibilibus, quae pro non adiectis habentur; verum dumtaxat de futuris contingentibus honestis, vel de praesentibus, quarum tamen exitus adhuc lateat. Pone facti speciem non verisimilem modo, sed quae revera contigit. Puella ducit advenam specie illustrem sub conditione saepe repetita quod esset principali editus progenie auctusque paterna pensione haud opima sed ampla satis. Matrimonium in Ecclesia initur absque conditione, consummatur; simul enim desponsati

(1) V. Theiner, *Documents inédits*, etc. tom. 1, pag. 139-42.

cohabitant, antequam notitia perveniat conditionis sponsi. Quae funestissima paucas post hebdomadas advenit, veteratorem sponsum, sponsamque deceptam pandens. Tribunalia ecclesiastica adeuntur, duaeque sententiae, ni fallor, eiusdem declarant nullitatem. Probatum enim per testes fuit, sponsam, vel cum ecclesiam peteret, repetivisse adiectam conditionem familiae principalis conspicuique census. Matrimonii validitatem egomet ex officio tuitus sum, animadvertens, conditionem additam fuisse, si non ex post facto, saltem non in puncto essentiali foederis coniugalis; et quamvis fortasse usque ad aram perseverasse sit dicenda voluntas conditionalis contra perspicuum sensum verborum *de praesenti*; nihilominus conditioni renuntiasset per voluntariam cohabitationem cum viro antequam probe nosset quis porro esset. Hanc thesim, aliquorum doctorum auctoritate firmatam, novis modo argumentis roborare luberet, erutis praesertim ex cap. penult. tit. V libri IV Decretalium ubi *de conditionibus appositis in desponsatione*. Statuitur enim ibi, per volontariam copulam effici matrimonium post sponsalia conditionata, illa enim innuit recessum ab ipsa conditione (1). Quapropter non miror, in facti speciebus nostrae simillimis, postquam s. Poenitentiaria stetit pro nullitate, s. Concilii congregationem non semel propugnasse validitatem matrimonii, referente Ursaya (2). Video etiam pro hac eadem opinione stetisse doctos viros, cardina-

(1) V. Innoc. Ciron. in hunc loc.
(2) Discept. Eccl., t. 4, part. I, Disp. 4. Perpendantur casus propositi 17 novembr. 1708 et 23 Ian. 1666.

lem Rauscher et Franciscum Nardi (1). Si itaque videam, leges austriacas et gallicas nullam harumce conditionum habere rationem; si illud idem cautum cerno in codice civili italo, qui omnes eliminat a matrimonio conditiones, non miror (2). Neque pugna inde oritur cum iure canonico, ut iam probavi. Patres autem Vaticani non debent sollicite contendere de hisce pugnis tollendis; specie enim tenus non re existunt.

CAPUT ULTIMUM

DE PACE SOCIETATIS CHRISTIANAE SUB R. P.

Teterrimum malum est bellum, quod a societate baptizatorum exulare omnino deberet. Sed tamen non evanuit, atque etiam per saecula christiana bellorum strepitus insonare auditus est. Verum est quidem, ius bellicum inter christianos mitius factum esse, mitius in bello captos tractari: quod aliquatenus compensat inaniter optatam bellorum absentiam. Ast si asperitas bellorum eo sensu sit granditer imminuta, favente idea

(1) Nardi, *Elem. di diritto eccl.*, tom. 2, § 415. En autem Rauscher docet, per communionem corporum renunciari conditionibus appositis nondum *purificatis*. Il *matrim. e il capo 2° del matrimonio civile*, XIX.

(2) Cod. ital., tit. 95; alias autem leges vide prolatas a Nardi op. et l. iam memor. Praeter scriptores iam laudatos, qui de coniugio disseruerunt comparate ad hodiernas leges, consuli etiam possunt Vecchiotti *Tract. canon. De matrim.* in append., et Carrière, *De matrimonio*, qui tamen nec in omnibus, neque ab omnibus probatur.

christianae consociationis; si tempus praeteriit, quo ethnici clamabant: *Vae victis*, fatendum nunc est, bella apud christianas gentes effecta fuisse cruentiora valde; progressus enim physicus omnem suam explicuit mortiferam vim. Qui a societate christiana ingentem bellorum calamitatem student avertere, ii profecto de illa bene merentur et laudabilia humanitatis sensa fovere demonstrant. Aedificant tamen absque fundamento. Frequentia et saevitate bellorum moti, quae metunt generationes in orbe terrarum, unus et alter media excogitarunt, quibus obtineatur durabile regnum pacis inter christianas gentes et civiles. Praecipue vero in hoc intenderunt Emmanuel Kantius et Hegelius. Praeiverant Bern. de S. Pierre, Rousseavius, quibus addendus Benthamus. Varia protulerunt systemata, alia quidem positiva, seu sita in nova compositione ditionum Europae, ut Sullyanum a primo illo scriptore commendatum; alia vero rationalia, principiis inhaerentia socialis scientiae. Defectum horum principiorum ipse Rousseavius lamentabatur, asserens ius publicum europaeum nulli firmo inniti principio, semper variasse et fortiorum nutui paruisse. Inevitabilia proinde continua bella; atque inolitum systema suspicionum mutuarum, metusve ne generale concuteretur aequilibrium, compulit etiam pacifica gubernia ad sustinendos exercitus permanentes, quibus impares sunt humeri populorum. Vis naturalis rerum haec nequit sustollere mala, ni succurrat scientia socialis. Ita quidem clamant iuris publici tractatores. Quid vero dignum invenerunt eminentiora ingenia? Prope nihil. Hieremias Bentham dum respiciendum arbitratur communi

partium contendentium utilitati, dumque arbitratus invocat supremi magistratus ab omnibus agniti, nihil propemodum efficit. Quid vero addit panaceam Europaeorum congressuum? Vidimus iam quid potuerint, et quomodo praeluserint diebus nostris bellis giganteis, sicuti cruentis democratiae et primi imperii pugnis praeiverunt scripta Benthamiana. Meliora ne tulerunt alii? Dubitare fas erit. Emmanuel enim Kantius, fundamentum pacis perpetuae reponens in foederatione statuum Europae ad regimen reipublicae compositorum, si nostris vixisset temporibus, vidisset utique, quomodo ingeniosis inventis male responderent internationalia commercia, quae induciarum potius, quam pacis exhibent faciem. Neque efficaciora remedia suggerit Hegelius, qui postquam asseruit supremum bonum esse autonomiam gentis; bellum non malum absolutum esse sed quandoque bonos parere effectus, verti ad moralem sanitatem gentium, civiles perturbationes cohibere vel praepedire, proponit et ipse principum foedus, quo simul coeant ad quaestiones dirimendas exurgentes inter populos. Amphictyonicum vero, quo de loquitur, inanis chimaera est (1). Quid? Si ponas inerme, eius contemnentur oracula; sin armatum pro suo officio et auctoritate, principatus evadet caeteris omnibus praepollens suaque placita imponens super humeros aliorum Neque magis profecerunt pacis oratores, qui Francofurti ad Moenum pacis causam agentes responsum acceperunt a tormentis bellicis intonantium ad Rheni et Sequanae

(1) Vide exposita haec systemata irenica apud Wheaton, *Storia del progresso del diritto delle genti*, vol. 1.

oras. Omnia haec systemata plus minusve intrinseco vitio laborant et inficiuntur illo peccato originali, quod perdidit modernam politicam: *Nihil est nefas, si est utile ad rationem status*. Ita fert Machiavellica gnome.

Quanto sapientior catholica doctrina! Iacobus apostolus bellorum originem repetit ex concupiscentiis (IV). Sicut enim animi cupiditates dissidium intestinum exsuscitant in homine, in familiis, in societate; ita et bella generant inter nationes. Cupiditates enim animi sitim acuunt extendendi fines imperii, invidias excitant, timores, aliosque malos affectus, qui ad arma deinde proruunt. Hosque malos affectus non amphictyones vel pacis congressus sustollunt. Pax erit hominibus, si bona voluntas comitetur eosdem; secus non erit pax. Impii videri volunt angeli pacis amare flentes; quum tamen sint intrinsecus sicut mare fervens, alios et bello lacessere gestiunt. Ut igitur redeat maneatque pax inter gentes, necessum est ut charitas in cordibus regnet, eaque inflammet amor iustitiae et benignitatis. Redibit pax in mundo, semel ac et mundus ipse renovabitur. Acriter ergo huic renovationi est insistendum. Quae quidem obtinebitur, si genuina iuris publici principia tam hodie pessumdata redintegrentur, tamque late diffusa praeiudicia convellantur, si intellectus infirmi resanentur et voluntates. Dignum sane concilio maximo Vaticano opus; et ferme ab illo uno expectandum. Quae enim a tam augusto conventu prodeunt doctrinae capita, eadem hauriet terra veluti siccitate adusta. Christianae mentes flectentur ad tantorum maiestatem virorum. Quae primo illucescit et mente recipitur veritas, illam et incipi

amari; amata autem fructus parit. Quae veritas homines facit liberos, eadem et illos nectit amore indissolubili. Pax venit et servatur non a somniis gallicis et germanicis, sed ab hereditate illius, qui fuit plenus gratiae et veritatis. Oh si veritas dominaretur mentes, si gratia corda moveret, regnaret utique inter gentes sorores vera pax!

Quoniam vero etiam inter sanctos possent lites exurgere et iurgia, atque durum nimis esset ob principum atque rectorum contentiones populos exponere teterrimo bellorum iudicio, provide expetendus esset supremus magistratus, qui sapientia et auctoritate fretus, principum et populorum excultus veneratione, quaestiones dirimat obortas. Quis autem iste mediator natus in societate christiana, nisi R. Pontifex? Quem fideles omnes, si vere tales, suspiciunt veluti divinae legis, naturalis nempe et positivae, ac qua late patet extensae ad actus omnes, privatos, sociales atque politicos, legitimum interpretem et falli nescium; virum maturae experientiae thesauris oppletum, non partium studio abripi suetum; ipse enim instar Melchisedechi sine genealogia consistit inter rectores orbis terrarum, ipsosque et populos simul respicit indiscriminatim. Sicuti enim ubi Pontifex regnat bella non exoriuntur, neque successionis hereditariae, neque dominatus amplificandi gratia; ita ipse inter principes gentesque sedens arbiter, absolutam prae se fert adiaphoriam cordis et iudicii inconcussam integritatem.

Salve igitur, o Pontifex maxime, qui constitutus es Mediator Dei simul et hominum, Iesu Christi Vicarius,

salve! Tuam hanc supremam potestatem pacificam, dignitati inhaerentem inter homines editissimae, cordique paterno, quo polles et Servatoris sanguine consperso, agnoverunt reges catholici et populi, commendarunt optaruntque vel ipsi heterodoxi, te ipsum salutantes ut *Caput Christianismi*, natumque baptizatarum gentium pacificatorem (1). Re enim vera locus R. Pontificis est in pace, seu in Salem, videlicet Romae, non in urbe bellorum, verum in asylo traquillitatis et pacis. Vidimus et nos hanc pacem renidere quando gentes ex omni christiani orbis plaga consistebant in amplissima B. Petri platea expectantes benedictionem successoris eius; vidimus eam in ore omnium, qui diu noctuque, in templis, in foris, in viis affluenter conveniebant et confertim, cum omnium satisfactione et laetitia, absque cuiuspiam offensione. Nunc autem postquam ingressus est vi armorum, non iuris (ne bellici quidem) exercitus potens et protegens, in alma ne urbe pergit regnare pax? Dixerit id nemo, ne is quidem qui *marmoreum* pectus fuerit sortitus. Eritne pax, ubi princeps pacis reperit in ergastulum mutatam regiam domum? Ubi clerici et laici fideles dicteriis, alapis, aliisque similibus blanditiis impetuntur? Pacificus R. Pontifex sedensque in loco pacis, abhorret ab inferendo aliis bello. Vel ille, qui caeteris visus est bellicosior, nonnisi bella suscepit stricte defensiva ad ius suum vindicandum possessioni et titulo nixum. Venit Iulius, vidit, vicit, statimque post victoriam magnanime victo pepercit. Quem triumphum Iulii

(1) Sic Burke apud De Maistre, *Du Pape*, liv. 2, chap. 13.

pontificis, illis splendidiorem Iulii imperatoris, merito decantabat Poëta coaevus apud anglicanum Roscoe (1). Si Christi Vicarius re et nomine est pacificus, permanetque Romae, quae antiquae Salem successit; si omnibus principibus ac subditis per epistolas precatur pacem Christi, quare non fiat apostolus pacis inter certamina huius saeculi cruenta atque incruenta? Hunc apostolatum pacis inter bella gerentes eiusque maximam convenientiam laudarunt etiam homines non suspecti (2).

Verum ut cum fructu illum possit R. Pontifex exercere, requiritur ut promere verba libertatis possit, et nullius sit potestati subiectus, in nullius clausus ditione. Si enim ille ad hasce angustias redactus pacem suaderet his qui bella gerunt suntve in gerendi procinctu, nonne referre aliena plus quam propria sensa videretur? Hoc autem contingeret, praesertim si gubernium, quod Romam tenet eiusve vicinia, pars una belligerans foret. Quis enim non suspicaretur, Pontificem, utut invitum, etiam flecti in partes tutoris et custodis, qui praetextu tuendi personam enecat libertatem? Pontifex ipse ab italico regno interclusus, neque amplius sui iuris existens, ne in aede quidem vaticana, habebitur extraneus ut quilibet alius episcopus Italiae. Num si verba pacis fundat ob salutem gentium, audietur ut verba cordis sui promens? Apostolus veritatis, iustitiae et libertatis confundetur, in opinione non vulgus tantum sed et politicorum, cum mandatario gubernii, quod libertatis magis quam iustitiae

(1) Life and Pontificate of Leo the tenth, tom. 2, chap. 8.

(2) Vulgatissima sunt quae scripsit Leibnitius, Oper., tom. 4, quem secuti sunt alii non pauci.

speciem amore prosequitur. Atque sic frustraneum evadet ministerium pacis s. pontificatui inhaerens erga christianas gentes. Qui talia agunt, cuius iudicii digni erunt coram Deo et hominibus? Videant populi christiani iura tuentes. Secus, Omnipotens ipse auferet opprobrium nostrum. Sed miserere, Domine, populi, qui est hereditas tua; flectere respiciens in faciem Vicarii seu imaginis Christi tui.

Aiunt vero defensores iuris bellici, seu vis et fortunae et armorum, bella omnino vitari non posse, fore immo interdum necessaria, immo non parum utilia ad excitandos populos, ne ignavo somno torpescant. Aqua enim, semper stagnans, facilius corrumpitur. Bellis utique nonnunquam utitur Providentia ad eximendas nationes a vitiorum putredine easque sanandas. Quid mirum? Generatim flagella in manu Dei sunt ad salutem multorum. Numquid ideo non sunt terrificae ultionis divinae signa? Quando autem Dominus Davidi dedit optionem tres inter gravissimas animadversiones, bellum nempe, famem et pestem, obtulit ne illi rem appetibilem? Aut clerus populusque christianus absque causa Deum exorat, ut parcat a bello aliisque calamitatibus? Deus profecto, omnipotens, sapiens et misericors, potest, scit, vult bonum morale ex malo physico elicere, saepe etiam ex morali, quod tolerat dumtaxat dum primum illud etiam causat, quid ni eum non exorabimus, ut avertat a nobis virgam indignationis suae? Nec bene merebitur de christiana societate quisquis valeat belli disperdere minas, illudve iam furens refrenare pacificis verbis? Qui autem hunc oratorem pacis efficacissimum exauctorat, efficitque nomine liberum, re

captivum, vel sub tutela positum, non erit iste reus laesi iuris, quo pollet christiana societas ne suo viduetur pacis solemni praecone? En neque minimum, neque unicum consectarium spoliationis pontificiae. Ipse desinet esse efficax et non suspectus orator pacis et mediator ubique acceptus in societate christiana. Haec autem pacifice feret tantam iacturam? Si liceat ex signis facta coniectari, negando firmissime respondemus. Concilium autem doctrinis suis, quae fient populares et permeabunt intima cordium, gentes sensim praeparabit ad accipienda verba pacis procedentia ex ore Petri. Ecclesia, media aetate, quae terris christianis incubuit, luce pontificii iuris leges romanas elucidavit, temperavit pristinoque restituit honori. Vel ipsi publici iuris tractatores heterodoxi scholasticos expilant, dum eorum auctoritati detrahere in deliciis habent (1). Quid ne resumet sapiens et benignissima mater opus suum? Quid non renovabit ius gentium, iusque civile, quae paganismo rursus infici incipiunt? Faxit id Deus, in cuius manu sunt corda regum et populorum, quique sanabiles constituit societates, praecipue baptismatis signaculo firmatas.

(1) V. Wheaton, *Storia del progr. del dirit. delle genti*, Introd.

Con permissione ecclesiastica.

MONITUM

Ex iudicio historico factorum recentium facile conspicies, benevole lector, hoc opus digestum fuisse praepropere, licet inceptum a decembri anni MDCCCLXIX. Quod memoro, non solum rogatu veniae, sed quo facilius liber ipse undequaque intelligatur. Quum autem scriptum ipsum excreverit supra propositum, nec non desiderium meum, ne ideo mireris si non adjiciam promissam dissertationem italicam, in qua laudibus effertur praestantia insita temporali dominatui R. Pontificis. De hoc alias. Hic autem pro data occasione teneas velim, quod proposui de canonico theologali ut constituendo moderatore studiorum dioecesis, id ipsum iam quadantenus obtinere in quibusdam Austriae provinciis, sub laica tamen tutela, quae nobis minus placeret (1). Addiderim etiam, collationes apologeticas, quae Parisiis exorsae in aliquibus italis civitatibus frequentioribus florere incipiunt, convenire apprime posse theologali officio, sic ut pro ratione temporum redintegretur. Ne tamen obliviscaris conditionem a Tridentino appositam: *Si praebenda sit sufficiens.*

(1) Apud Nardi, *Elem. di diritto eccles.* Padova 1851, tom. 1, pag. 283.

INDEX

ERRATA	CORRIGE
Pag. 82, *lin.* 5, CAPUT IX	CAPUT IX *bis.*
» 194, » 1, CAPUT XVI	CAPUT XVI *bis.*